



**Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus  
Canonicum**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1692**

Caput XIV. Series Conciliorum generalium legitimorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

Nam Pontifex est supra Concilia, non vero Concilia supra Pontificem, ut infra pluribus probabitur. Decreta vero Concilii generalis, cui Pontifex non per se, sed per Legatos præsidet, eduntur nomine Concilii, ut patet ex octo Conciliis generalibus, atque etiam Tridentino, in quibus saepius legitur : *Synodus definit, mandat, prohibet.* Demum tenentur Episcopi decreta secum conferre, & intra sex menses in Ecclesia sua publicare. *Conc. Tolet. XVI. c. 8. can. ult. dist. 18.*

Dubitandum vero non est Decreta Conciliorum universalium jus constituerre generale & commune, quod omnes obliget, cum confirmata sint à supremo Principe, Christi in terris Vicario. Si quæ verò, quæ fidem non concernunt, alicubi non recipiantur, id quidem *de facto* fit, an etiam *de jure* examinatur in Titulis de Constit. & Consuetudine.

## C A P U T XIV. Series Conciliorum Generaliū Legitimorum.

*Compendiosa descriptio Conciliorum gener. eorumque Canonum Nicæni I. Sardicen-*

dicensis, Constantinopolitani I. Ephesi-  
ni I. Chalcedonensis. Constan. II. Con-  
stant. III. Nicæni II. Constant. IV. La-  
teranensis. I. II. III. & IV. Lugdunen-  
sis I. & II. Viennensis, Florentini  
Lateran. V. Tridentini.

## I.

**P**RÆMISSIS iis quæ spectant ad Convo-  
cationem & celebrationem Conci-  
liorum Generalium modumque in iis pro-  
cedendi, subiiciemus nunc brevem eo-  
rundem, quæ hactenus in Ecclesia ce-  
lebrata sunt, descriptionem, & qui Ca-  
nones ex iis tanquam ex fontibus in Jus  
Canonicum deducti sint. Concilia ge-  
neralia quæ legitima sunt, numerantur  
octodecim. Primum est

## NICÆNUM.

Convocatum illud fuit Nicææ, quæ  
Metropolis est Bithyniæ in Asia à Sylvio  
Papa & Constantino Imperatore.  
Inchoatum est in aula Palatii Constanti-  
ni Euseb. l. 3. vitæ Constan. c. 12. anno Chri-  
sti 325. 13. Kal. Julii. Paulino & Juliano  
Coss. ut tradit Concilium Chalcedonen-  
se Act. 2. tenuitque usque in diem octa-  
vam Kalend. Sept. ejusdem anni, ut ha-  
bet eadem Synodus Chalced. & vetus-  
tissima Cresconiana collectio.

L

Inter-

Interfuerunt huic Concilio Patres  
supra trecentos octodecim; quos inter-  
multi sanctitate conspicui, & in sancto-  
rum Catalogum ab Ecclesia relati, ut  
Nicolaus Myræ in Lycia, Paphnutius  
Thebarum Ægypti, Potamon Hera-  
clæÆ Ægypti, Spiridion Threnituntis  
Cypri, Paulus Neo-Cæsarææ, Jacobus  
Nisibis in Mesopotamia, Alexander Con-  
stantinopolis, Arostanes in Armenia su-  
periori Episcopi & magnus Athanasius  
tunc Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus.  
Præsiderunt Summi Pontificis Legati  
Osius Cordubensis Episcopus, Victor &  
Vincentius Romanæ Ecclesiæ Presbyte-  
ri, qui etiam ante omnes Ecclesiarum  
Antistites & Patriarchas confederunt,  
suaque nomina Actis subscripterunt, ut  
testis est Dalmatius seu Gelasius Cynize-  
nus Episcopus in historia hujus Concilii.  
Hos sequebantur Alexander Alexandriae,  
Eustathius Antiochiae Patriarchæ, Maca-  
rius Hierosolymorum Episcopus. Constan-  
tinus Imp. Concilium ingressus non nisi  
annuentibus Episcopis sedere voluit, de-  
in habita Oratione latina contestatus est  
non esse deinceps suum sed Episcoporum  
judicare, proindeque post omnes Epis-  
copos subscriptis.

Co-

Coactum fuit hoc Concilium præcipue contra Arium Presbyterum Alexandrinum sacrarum literarum interpretationi Præpositum, qui asserebat DEI filium esse diversæ à Patre inferiorisque naturæ, atque à Patre in tempore ex nihilo creatum; Quæ hæresis in hoc Concilio damnata est. Deinde contra Quartadecimanorum Sectam jam antea sæpius oppressam, nunc iterum reviviscentem, quæ Judaico ritu non die Dominico Pascha, sed Luna decimaquarta in quamcunque diem incidisset agitabat. Constitutum ergo est, ut post decimam quartam Lunam primi mensis in ipsum æquinoctium vernum incidentem, vel ipsum proximè sequentem primæ Dominica Pascha celebretur. Decreta hujus Concilii Rotnam perlata à Sylvestro Papa approbata fuere.

2. De numero Sessionum & Canonum hujus Concilii valde controvertitur. Alii namque contendunt viginti solum formatos esse Canones, qui hodie dum exstant, alii vero plures fuisse affirmant. Isti pro se allegant I. quod Atticus Episcopus Constantinopolitanus, & Cyrillus Alexandrinus Antistes miserint solum vulgatos viginti Canones ad Conc. Carthaginense VI, cum id omnes

sibi transmitti petiisset. II. Rufinum viginti duos exhibere in historia sua, sed duos nihil addendo partiri, adeoque re ipsa viginti esse. III. Theodoretum *Hist. Eccl. c.8.* viginti solum fuisse attestari. IV. Cæcilianum Episcopum Cathaginem, qui ipse Concilio Nicæno interfuerat, non plures quam viginti Canones Nicæa Carthaginem retulisse, ut refert Concilium Carthaginense VI.

Qui vero plures fuisse esserunt producent: primo Epistolas sub nomine Athanasii & Marci Pontificis Romani latine scriptas, in quibus Athanasius rogat Marcum, ut ad se transmittat octuaginta Nieænos canones, quos Alexandrinum ex Synodo transportarat; Cui respondeat Marcus se canones illos octuoginta primum, sed à Nicæna Synodo in septuaginta redactos ad ipsum transmittere. Sed hæc Epistolæ ab eruditis proficiuntur, & nullius auctoritatis habentur. Secundo Julius Pontifex Romanus meminit in Epistola scripta ad Orientales, quam refert Athanasius *Apologia 2.* cuiusdam Decreti Nicænæ de prioris Synodi Actis in posteriore Synodo examinandis. Deinde recenset hoc Decretum Nicænum: *Non debere præter sententiam Romani Pon-*

Pontificiis Concilia celebrari. Et aliud:  
Ne Conprovinciales quicquam statuant  
adversus ullum Provinciae Episcopum  
inconsulto Romano Pontifice. Tertio  
Leo Papa Epist. 24. ad Theodosium junio-  
rem Aug. postulat ab eo retractatorium  
concilium in causis Flaviani ab Ephesi-  
no latrocinio appellantis, & subjungit:  
*Quam autem post appellationem inter-  
positam hoc necessario expostuletur Ca-  
nonum Nicææ habitorum decreta testen-  
tur, qua à totius mundi sunt Sacerdo-  
tibus constituta.* Item Zosimus, Inno-  
centius, & Cœlestinus Summi Pontifi-  
ces petunt à Concilio Carthaginensi VI.  
ut observetur ab eisdem Canon Nicæ-  
nus circa appellationes ad Romanam  
sedem à judiciis Episcoporum; Nihil ho-  
rum vero in vulgatis XX. Canonibus  
reperitur. *Quarto,* Gelasius Cyzice-  
nus l. 2. c. 30. præmittit vulgaribus XX.  
Canonibus statutum Nicææ Synodi no-  
vem continens capita. S. Ambrosius in  
Epistola ad Vercellensem Ecclesiam in-  
quit: *Patres in Concilio Nicæno tracta-  
tus addiderunt, neque Clericum quen-  
quam esse debere, qui secunda conju-  
gia sortitus est.* Innocentius I. Epist. 23.

L 3

ad

ad Synodum Tolosanam refert ex regulis Nicænis de ordinationibus: *Ne quis piam, qui post Baptismum militaverit ad Ordinem debeat Clericatus admitti: neque qui causas post Baptismum acceptum egerint &c.* S. Hieronymus *Præf. in lib. Judith* refert hunc librum à Nycæna Synodo fuisse inter canonicas scripturas connumeratum. S. Augustinus *Epist. 110.* agnovit decretum Nicænum, ne quis succedat Episcopo viventi: *Adhuc, inquit, in corpore posito... Valerio, Episcopus ordinatus sum & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat, quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.* Quinto Concilium Antiochenum *Can. 1.* & Constantius Augustus, qui Nicæno interfuit in Epistola sua quam refert Eusebius Caesariensis. *l. 3. vitæ illius & S. Athanasius,* qui pariter in Concilio præsens fuit *lib. de Conciliis Arim in. & Seleuc.* Et Epiphanius *bæres. 96.* tradunt Nicæni Concilii decretum de non celebrando Paschali festo, nisi in Dominica occurrente primum post decimam quartam mensis Martii lunam; At nihil prædictorum reperitur

peritur sive in Canonibus, sive in actis Synodi Nicænæ. Præterea in Epistola Episcoporum Ægypti ad Felicem Papam II. leguntur sequentia. *Sciamus in magna Nicæna Synodo trecentorum decem & octo Episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum: Non debere absque Romani Episcopi sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari; Licet hæc & complura alia necessaria Synodi Capitula fuerint ab hereticis quotidianie nos infestantibus exusta nobisque prærepta.* Sed hanc Epistolam Baronius aliique eruditus suppositionem dicunt. Porro Canones Arabicos falso adscribi à quibusdam Nicænæ Synodo ostendit Cabassutius in Notitia Ecclesiastica de numero Canonum Nicænorum. Verum ni dicere velimus errasse supra citatos Patres & Concilia, fatendum erit præter Canones viginti decreta esse à Concilio illo Nicæno alia non pauca, seu Canones illa appelles, seu alterius nominis statuta.

3. In viginti vero Canonibus hujus Concilii, qui exstant, hæc statuuntur. **Can. I.** Irregulares esse, qui se ipsos, non vero quos Medici morbi causa, vel alii per-

per vim mutilant vel mutilare permittunt. Refertur c. Si quis à Medici dist. 55.

Can. 2. Ne Neophyti ordinentur Episcopi aut Presbyteri. Item qualiter Clerici ordinari & promoveri de ordine inferiori ad superiorem debeant servatis interstitiis. Et de his qui rei convicti essent ψυχικὸς ἀμαρτήματος, peccati animalis, hoc est qui post Baptismum grave aliquod crimen præsertim luxuriæ admiserint arcendis à Clericatu.

Can. 3. Ut nulli Clericorum liceat subintroducere mulierem, exceptis Matre, Sorore vel aliis non suspectis. Citatur c. interdicit i. dist. 32.

Can. 4. Statuitur qualiter Episcopi ordinari seu consecrari debeant. Referatur. c. Episcopi ab omnibus dist. 64.

Can. 5. Præcipitur ne excommunicati Clerici vel Laici à clero repulsi ab aliis admittantur. Citatur c. Servetur ista sententia 11. q. 2. Et ut Synodus Episcopalis bis in anno nimirum ante quadragesimam, & in Autumno convocetur. Habetur dist. 18.

Can. 6. Statuitur potestas Episcopi Alexandrini, & specialiter Ecclesiæ Romanæ. Deinde quod definitur à majore parte collegii Ecclesiastici, id ratum esse debere.

Can.

Can. 7. Approbatur honor Episco-  
po Hierosolymitano ex consuetudine de-  
latus, Metropoli propria dignitate ser-  
vata.

Can. 8. Permittuntur Novatiani,  
qui Cathari dicuntur, ad Ecclesiæ unita-  
tem revertentes pristinæ Sedi vel Ordini  
seu gradui restitui.

Can. 9. Examen Ordinandorum in-  
stituendum esse.

Can. 10. Clericos lapsos ordinatos  
deponendos esse.

Can. 11. Præscribitur quomodo spon-  
te lapsi pœnitere debeant.

Can. 12. Contra eos, qui ut se in-  
choatæ pœnitentiæ molestiis eriperent,  
militias affectabant, vel redimebant.

Can. 13. Nemini pœnitenti in extre-  
mis vitæ communionem sacri viatici de-  
negandam.

Can. 14. Catechumenos lapsos pœni-  
tentiaæ triennali subijciendos.

Can. 15. Episcopos, Presbyteros &  
Diaconos proprias, quibus adscripti sunt,  
Ecclesias deferentes ad eas revocandos  
esse. Citatur *in c. non oportet Episcopum 7. q. i.*

Can. 16. Clericos non debere desere-  
re Ecclesias suas, & ab alio Antistite non  
esse ordinandos sine consensu proprii  
Episcopi.

can.

Can: 17. Clericos usurarios deponendos esse.

Can. 18. Ne Diaconi Eucharistiam præbeant vel attingant nisi eis præbente Episcopo vel Presbytero, nec in medio Presbyterorum sedeant.

Can. 19. Paulianistas seu Photinianos denuo rebaptizandos esse, quia ut ait Innocentius I. *Epist. 12. c. 5.* In Nomine Patris & Filii & Spiritus sancti minime baptizabant.

Can. 20. Ut fideles Paschali tempore stantes orent. Citatur *c. Quoniam sunt de Consecrat. dist. 3.*

### SARDICENSE.

4. Quamvis hoc Concilium fuérit Synodus Oecumenica, non tamen inter universalia approbata Concilia numeratur, quandoquidem cum Nicæno unum idemque censetur, cum utrique iidem sere interfuerint Patres, & nil aliud constituerint, quam quod Nicænum confirmarint, Canonesque illius explicatos corroborarint.

Convocatum est hoc Concilium Sardicæ anno Christi 347. auctoritate Julii Romani Pontificis sub imperio Constantis. Præsedit Concilio Osius Cordubæ Præfus in Hispania qui missus erat à Pa-

pa

pa Legatus una cum Protegene Sardicæ Episcopo & Archidamo ac Philoxeno Presbyteris; Interfuere Episcopi orthodoxi trecenti quadraginta quatuor, ut testatur Athanasius, qui Synodo adfuit; Vel, ut Socrates tradit *l. 2. c. 16.* trecenti septuaginta sex. Præter hos convenere Orientales ex Arii & Eusebianorum colluvie septuaginta sex Episcopi, qui causæ suæ diffisi clam recesserunt Philippopolim Thraciæ & citati juridicè detrectantes redire, ibidem Pseudo-Synodum habuerunt sub Præside Stephano Episcopo Antiocheno.

In hoc Concilio absolutus est Athanasius ab Eusebianis damnatus. Similiter Marcellus Ancyrae, Asclepas Gazæ, aliquique ab Arianis abdicati Antistites, & ut ad proprias Ecclesias, expulsis inde invasoribus, remearent, constitutum est. Subscriptus primus Concilio Osius Episcopus Cordubæ, deinde Protagenes Sardicæ Episcopus, tum, quos Athanasius dicit Julii Romæ Episcopi Legatos, Archidamus & Philoxenus Presbyteri. Petierunt deinde per literas Patres à Julio Pontifice, ut Concilium confirmaret. *Szam. l. 3. c. 11. Nicep. l. 9. c. 12.* idque eum fecisse patet ex eo, quod ipse Julius in Epistola ad Alexandrinos suam de

Atha-

172 *Canones Concilii Sardicensis.*

Athanasio restituendo sententiam à Sy-  
nodo approbatam esse gratuletur. *Athan.*  
*Apol. 2.*

5. *Canones Concilii Sardicensis* nu-  
merantur viginti & unus.

Primo statuitur pœna in Episcopos  
transilientes de Episcopatu ad alium Epis-  
copatum propria auctoritate.

Can. 2. Episcopus qui fraudulenter  
alterum ambivit Episcopatum, ne qui-  
dem Laica communione in fine vita  
dignus habeatur.

Can. 3. Episcopus ab alio Advocatus  
in provinciam vocantis transire potest.  
Ut appellationes Episcorum ad Apo-  
stolicam Sedem emittantur.

Can. 4. Episcopo deposito non prius  
alius in ejus cathedram substituatur,  
quam Romanus Pontifex causa cognita  
sententiam tulerit.

Can. 5. De Episcopis accusatis à Pon-  
tifice Romano judicandis, si ad illum pro-  
vocaverint, vel ad Comprovinciales  
Episcopos remittendis.

Can. 6. De non ordinandis Episcopis  
pervicos & modicas civitates.

Can. 7. De Episcopis accusatis.

Can. 8. Ne Episci passim ad comi-  
tatum pergent nisi à Principe fuerint ac-  
cersti

versiti obtentis à Metropolitano literis.  
Et de officio Episcopi.

Can. 9. De Diaconis ad comitatum  
dirigendis.

Can. 10. Quod ad comitatum pro pu-  
pillis & Viduis ac necessitatem patien-  
tibus sit eundum.

Can. 11. Ut qui in canali (id est via,  
qua equi publicè per stationes singulas  
ad iter dispositi sunt) Episcopi euntes ad  
comitatum sollicitè discutiant.

Can. 12. De his qui ignorant, quid sit  
in Synodo constitutum.

Can. 13. Ne quis ad Episcopatum  
promoveatur nisi prius Lectoris, Dia-  
coni & Presbyteri ministerio functus fue-  
rit.

Can. 14. Ne Episcopus in aliena  
Provincia diutius sine necessitate immo-  
retur.

Can. 15. Ne Episcopus à sua Ecclesia  
plus tribus hebdomadibus absit.

Can. 16. Ne Clericus à suo Episcopo  
excommunicatus ab alio suscipiatur.

Can. 17. Licere Clericis, si injuste  
fuerint excommunicati, vicinos adire  
Episcopos.

Can. 18. Non licere Episcopo alte-  
rius Clericum in sua Ecclesia ordinare.

Can.

174 *De Concilio Constantin. primo*

Can. 19. Ne Episcopus sibi non subdi-  
cum ordinare præsumat sine consensu  
proprii Episcopi.

Can. 20. Ut extranei Clerici apud  
Thessaloniam non immorentur.

Can. 21. De suscipiendis his, qui per-  
secutionem patiuntur.

CONSTANTINOP. I.

6. Secundum generale Concilium  
fuit Constantinopolitanum primum  
Constantinopoli A. Christi 381. secundum  
Baronium, vel ut tradit Bellarminus  
anno 383. indictum auctoritate Damasi  
Papæ, & consensu Theodosii Senioris  
Imp. ut constat ex gestis Damasi apud  
Baronium ad hunc annum, ejusdem  
Damasi Epistola apud Theodoretum l. 2.  
c. 22. & Epistola Concilii ad Damasum  
apud eundem Theodoretum l. 5. b. 1.  
*Eccles. c. 9.* Interfuerunt Episcopi Orienta-  
les Catholici 150. & Macedoniani sex-  
semi - Ariani 36. *Niceph. instit. Eccles.* Præ-  
sedit primusque Actis subscripsit Nesto-  
rius Regiæ urbis Episcopus, non vero  
Damasus Pontifex per se, vel per Lega-  
tos suos; Confirmavit tamen illud in his,  
quæ fidem Catholicam concernunt. *Pho-*  
*tius in lib. de 7. Synodis.* Tres potissimum ob  
ob

causas convocatum est hoc Concilium:  
I. Ut fides Concilii Nicæni confirmaretur. II. Ut Ecclesiæ Constantinopolitanae Præsul orthodoxus præficeretur. III. Ut Macedoniana hæresis afferens Spiritum sanctum esse creaturam, profligaretur. Tria vero sub Damaso non interrupta serie celebrata sunt Concilia; Primum Aquilejense, cui præsedit Valerianus Aquilejæ Antistes; Secundum dimisso Aquilejæ Concilio Romanum, cui ipse Damasus præsedit; ad utrumque invitati quoque sunt Episcopi Orientales. Tertium Constantinopolitanum quæ tres pari auctoritate edita in unum coäluere generale Concilium consentientibus occidentalibus, qui in Aquilejensi & Romano convenerant cum Orientalibus, qui Constantinopoli congregati erant. Septem tantum hujus Concilii afferuntur Canones.

7. Can. I. Instauratur & roboratur fides de Filio DEI æternitate & consubstantialitate cum æterno Patre. Damnantur etiam impia Macedonii & Eunomii dogmata, & omnes Arianorum & Sabellianorum: Nec non Marcelli Ancyrae, Photii Sirmiensis, & Apollinaris Laodiceni Sectæ.

Can.

176 *De Concilio Ephesino primo.*

Can. 2. Ut Episcopi proprias gubernent Ecclesias. Habetur c. *Episcopi qui extra. 9. q. 2.*

Can. 3. Ne Episcopi ultra Dioecesin propriam ad alias accedant, nisi invitati fuerint.

Can. 4. Quomodo Ecclesiæ inter barbaras gentes existentes regendæ sint. Maximus Philosophus Cynicus damnat, ejusque ordinatio declaratur irrita.

Can. 5. Episcopus Constantinop. habeat priores honoris partes post Romanum. Hic Canon occasionem dedit schismati Ecclesiæ Orientalis.

Can. 6. Statuitur Episcopos aliosque Clericos non esse accusandos ab excommunicatis, hæreticis aliisque reis, & reiiciendas eorum accusationes, usque dum accusatores se purgaverint. Item quod in accusatione Episcopi possit à Synodo Provinciali ad Majorem recurri.

Can. 7. Recipiendos esse hæreticos errorem suum abjurantes & rectæ fidei adscribi volentes.

EPHESINUM I.

8. Tertium est Ephesinum primum indictum auctoritate Cœlestini Papæ Theodosio juniore Imp. anno 431. juxta Baronium 430. juxta Bellarminum 434.  
Basso

Basso & Antiocho Coss. ad condemnandum hæresin Nestorii duas distinctas in Christo communiscentis personas, divinam & humanam, & negantis Sanctissimam Virginem MARIAM Theotocum, hoc est DEI param appellandam esse. Concilium celebrarunt Ephesi quæ est minoris Asiæ Metropolis Episcopi orthodoxi plus quam ducenti in æde B. V. MARIÆ pro cuius asperenda dignitate convenerant decimo Kal. Julii. Ter cito tatus Nestorius, & nil nisi convicia reponens hæresis præfractæ obstinationis convictus à sacra hac Synodo juxta sententiam à Pontifice anno præcedenti in Concilio Romano latam damnatus & omni gradu dignitatis spoliatus fuit. Præfudit nomine Pontificis præter alios Legatos Cyrillus Episcopus Alexandrinus, qui & primus mitram Pontificiam, & titulum Judicis universi Orbis à Cœlestino Papa, cuius personam sustinebat, accepit *Niceph. l. 15. c. 34.* Misit quoque Theodosius Imp. Irenæum & Candidianum Comites ad Synodi defensionem ea conditione, ut non immiscerent se negotiis fidei & Ecclesiasticis, quam tam conditionem Comites, utpote Nestorio conjunctissimi non observarunt. Concilium confirmavit Pontifex, ut

M

con-

constat ex Epistola Cœlestini II. ad Synodum scripta, & ex actis Concilii in causa Nestorii Romæ celebrati.

## CHALCEDONENSE.

9. Quartum Concilium generale est Chalcedonense, quod apertum Chalcedone anno 451. 3. idus mensis Octobris auctoritate Leonis Pontificis & iussu Marciani Theodosii Successoris ut constat ex ejusdem Martiani Epistola ad Leonem I. Pontif. actis Concilii præfixa, Martiano & Adolpho Coss. in templo S. Virginis & Martyris Euphemiae contra heresin Diocori & Eutychetis Archimandritæ, qui unam tantum in Christonaturam asserebant. Convenerunt Episcopi 630. ut habet Marcellinus in Chronico, Liberatus Diaconus in breviario c. 13. & Photius in septem Synodis c. 40. Leo Pontifex vero Epist. 77. alias 52. 600. ferè Episcopos interfuisse tradit. Praesederunt Concilio Legati Leonis Pontificis Paschasius Lilybetanus, Lucentius Asculanus, Julianus Coënsis Episcopi & Bonifacius Presbyter. Post Legatos secundus sedet Anatolius Constantinopolis, tertius Dioscorus Alexandriæ, quartus Maximus Antiochiæ, quintus Juvenalis Jerosolymæ Episcopi, aliique dein.

deinceps suo ordine. Principes à Marciiano missi cum amplissimo Senatu conferunt in medio ante cancellos altaris, ut patet ex acti. 1. Leo Papa confirmavit Synodum id petentem, ejusque gesta quæ fidem concernunt, ut habet Epistola ejus 59. ad Synodum.

10. Canones hujus Concilii referuntur viginti septem. In primo constituitur: Canones uniuscujusque Concilii conservandos.

Can. 2. Damnantur Episcopi, qui propter pecunias ordinationem fecerint. Habetur, c. Si quis Episcopus. I. q. 1.

Can. 3. Ne Episcopi, Clerici & Monachi neglecto sacro ministerio rebus sacerdotalibus ob lucrum se implicitent. Catur c. Per venit ad sanctam dist. 76. Huc respicit Titulus Decretalium: *Ne Cler. vel Monach. sacer. negot. se implicitent.*

Can. 4. Monachi subijcantur Episcopis, neque nova Monasteria vel Ecclesiæ ædificant absque eorum consensu. c. Qui verè pureque 16. q. 1. & c. Quidam Monachorum 18. q. 2.

Can. 5. Quod non licet Episcopo aut cuiilibet ex Clero de alia ad aliam transire civitatem.

Can. 6. Ut ordinandi certis Ecclesiis  
M 2 ad-

180 *Canones Concilii Chalcedon.*

adscribantur, neque absolutè ordinentur. Refertur c. *Neminem absolute dist. 70.*

Can. 7. Militiae cœlesti adscripti ad sœcularem non redeant. Refertur, c. *Eo qui semel 20. q. 3.*

Can. 8. Rectores hospitaliorum, & qui ordinantur in Monasteriis Episcopis sint subjecti. Habetur c. *Quidem Monachorum 18. q. 2.*

Can. 9. Si Clerici inter se litigent coram Episcopo causam agant. Refertur c. *Si Clericus 11. q. 1.*

Can. 10. Non licet Clerico duabus eodem tempore Ecclesiis adscribi, neque per ambitionem de una in aliam se transferre.

Can. 11. Quibus literæ pacificæ vel commendatitiæ concedi debeant.

Can. 12. Ne una Provincia inter duos Metropolitanos dividatur.

Can. 13. Ut sine commendatitiis literis Clericus extra suam Ecclesiam non ministret. Refertur c. *Extraneo Clerico dist. 71.*

Can. 14. Quod non liceat Clericis alterius sectæ uxores ducere. Refertur, c. *Non oportet 28. q. 1. &c. Cave 28. q. 1.*

Can. 15. Diaconissa non ordinetur ante 40 ætatis annum, neque post ordinationem nubat. Habetur c. *Diagonissam 27. q. 1.*

can. 16.

Can. 16. Monachus vel Monialis DEO dicata à Connubio arcentur. Citatur c. *Si qua Virgo 27. q. 1.*

Can. 17. Parochiæ rusticæ quibus Episcopis subijciantur. Habetur. c. *Per singulas 16. q. 3.*

Can. 18. Conjurationes adversus Episcopos prohibentur. Allegantur. c. *Conjurationum II. q. 1. & c. Si qui Clerici ibid.*

Can. 19. In Provinceis bis in anno Concilia fiant, & corripiantur Episcopi qui ad Concilium vocati sine justa causa venire recusant. Habetur c. *Pervenit ad nostras dist. 18.*

Can. 20. Quod non liceat Clericis in aliam civitatem transmigrare, nisi eis qui in persecutione proprias amiserint civitates. Refertur c. *Clericos in singulis dist. 71.*

Can. 21. Clerici aut Læici absque examinatione ad Episcoporum accusacionem non admittantur. Allegatur c. *Clericos 2. q. 7.*

Can. 22. Quod non liceat Clericis post mortem sui Episcopi res adeum pertinentes diripere.

Can. 23. De Clericis & Monachis, qui præter voluntatem sui Episcopi ad Regiam Constantinopolim veniunt.

Can. 24. Quod non liceat Monasteria, quæ consecrata sunt, diversoria sacerdotalia fieri.

Can. 25. Ut intra tres menses Episco-  
pi electi ordinentur.

Can. 26. Ut Episcopi dispensatores ha-  
beant. Citatur c. *Quia in quibusdam dist. 89.*

Can. 27. Contra illos, qui specie con-  
jugii mulieres rapiunt. Habetur c. *Eos qui*  
*rapiunt 36. q. 2.*

## CONSTANTINOP. II.

II. Quintum generale & legitimum  
(ut constat ex A& 1. Nicæni secundi)  
Concilium fuit Constantinop. secundum  
ad instantiam Justiniani à Theodoro Cæ-  
sariensi seducti auctoritate Vigilii Rom.  
Pontificis quamvis inviti convocatum  
anno Christi 553. Convenerunt Calendis  
vel ut habet tom. Concil. quarto Maii  
in Secretario centum sexaginta secun-  
dum Cabassutum in notitia Eccles. qui-  
bus Pontifex licet Constantinopoli præ-  
sens esset, nec per se, nec per Legatos  
suos præsidere voluit; Sed præsedid &  
primus subscriptione sua hanc Synodus  
firmavit Eutychius Constantinopolita-  
nus.

Statutum est de tribus Capitulis pro-  
positis, nimirum de libris Theodori Mop-  
suesteni, de Theodoreti Anathema-  
tismis adversus Cyrillum & de Idæ Epis-  
tola, omniaque ut impia rejecta sunt.

Ad-

Adhæc errores quoque Originis hæc eadem Synodus condemnavit. Finitum est Concilium eodem, quo cæptum est anno quarto Non. Jun. habitis collationibus octo. Acta Synodi latinè tantummodo supersunt exceptis quibusdam græcis Epistolis & fragmentis, in quibus tamen non pauca viri eruditi agnoscunt supposititia. Synodum hanc ab initio Vigilius S. Pontifex approbare renuit, ideoque in teturum carcerem detrusus est, inde tamen liberatus post medium annum eam probavit Epistola ad Eutychium data, quæ nunc extat opera Petri de Marca in 12. tom. Concil. impressionis Parisiensis p. 262. & posterioris editionis Tom. 5. p. 595. Hæc Synodus nullos conscripsit Canones.

### CONSTANTINOP. III.

12. Sextum generale Concilium fuit Constantinopolitanum tertium A. 680. cum consensu Agathonis Papæ ab Imperatore Constantino Pogonato convocatum & cæptum indictione nona 17. Novembris Constantinoli intra Palatii Imperialis Secretarium, quod cognominatum est Trullus; Est autem Trullus seu trulla sublimis fornix in altum perfectus, & in rotundum concameratus;

Itali

Itali vocant Cuppulam Baron. A. 680.  
n. 4 Interfuere Episcopi 289. & præse-  
derunt Theodorus & Georgius Presby-  
teri, & Joannes Dianonus Agathonis  
S. Pontificis Legati. Præsens quoque ad-  
fuit Imperator omnibus fere actionibus  
in eminentiore loco considens, sed non  
ut Judex, verum ut Propugnator, ideo-  
que sententiam non tulit, & ultimus  
subscriptis.

In hoc Concilio approbatur primum,  
quæ in quinque præcedentibus Synodis  
Oecumenicis stabilita fuerunt. Deinde  
decrevit contra Monothelitas, duas in  
Christo Domino esse voluntates toti-  
demque actiones, divinam & humanam,  
atque hanc divinæ per omnia subditam  
& consentientem, & contrarium sen-  
tientes tanquam hæreticos damnat. Ter-  
minata est Synodus anno 690. 17. Sept.  
& Patres cum Imperatore mittunt ad  
Agathonem rogantes, ut quæ sancita-  
erant Apostolica auctoritate firmaret.  
Cum vero priusquam Synodicæ hæ-  
literæ Romam perlatæ essent, Agatho  
obierit, Leo secundus ejus Successor  
Synodum comprobavit secundum com-  
muniorem sententiam, licet Baronius  
& Binius Leonis Epistolam confirmato-  
riam suppositiam velint. Neque hæc Sy-  
nodus Canones confecit.

NL

NICÆNUM II.

13. Septimum Concilium generale fuit Nicænum secundum convocatum ab Imperatore Constantino & Irene ejus matre consensu Adriani I. S. Pontificis A. 787. Convenere Nicææ quæ Metropolis est Bithyniæ Episcopi 356. multique cum delectis Monachis Archimandritæ & prima ab eis Actio est habita 8. Cal. Octobris. Præsederunt Legati Apostolici Petrus Archi-Presbyter Basilicæ S. Petri, & Petrus Abbas S. Sabbæ, qui & priui nominantur & subscripserunt. In hoc Concilio decretum sancitur de SS. Imaginum & Reliquiarum veneratione, Contradicentes vero hæretici declarantur & anathemate feriuntur. Plures quoque Episcopi Iconoclastæ abjurata hæresi reconciliati sunt, & pristinæ dignitati restituti. Finitum est Concilium 4 Idus Octobris eodem anno quo cæptum, qui dies tanta in veneratione est apud Orientales ut eum festive celebrent ac notarint in menologio suo hoc modo:  
*Die 12. Octobris sanctæ septimæ Synodi trecentorum sexaginta septem Patrum commemoratione Boym. Theol. p. 4. de Concil. Confirmatum est ab Hadriano Pontifice, qui illud etiam apud Carolum Magnum*

186 *Canones Concilii Nicæni II.*

gnum Occidentis Imp. ab aliorum crimi-  
nationibus defendit.

14. *Canones* hujus *Concilii* referun-  
tur viginti & unus:

Can. 1. Sex Oecumenicæ Synodi, quæ  
præcesserunt earumque *Canones* fir-  
mantur.

Can. 2. Decernitur ut Episcopi ordi-  
nandi promittant se sacros *Canones* ser-  
vatuos: ubi etiam traditur boni Pa-  
storis officium.

Can. 3. Prælatorum electiones vi &  
potestate Principum sæcularium factæ  
declarantur nullæ: Habetur 16. q. 7. Si  
quis Episc.

Can. 4. Pœna talionis puniendus An-  
titites, qui injustè suos Clericos arcet  
à divino ministerio, & templum clau-  
dit.

Can. 5. Qui per Simoniam promoven-  
tur ad dignitates Ecclesiæ, & ipsi & Or-  
dinatores deponantut, & pœnis Cano-  
num subjiciantur.

Can. 6. Synodi Provinciales celebren-  
tur saltem semel singulis annis.

Can. 7. Tempa sine reliquiis Santo-  
rum ne consecrentur.

Can. 8. Judæi fingentes se esse Chri-  
stianos, & Christum occulte subsannan-  
tes, ab Ecclesia extrudantur, sed verè  
conversi recipiantur.

Can.

Can. 9. Scripta & dicta contra Sanctas Imagines cum reliquis libris hæreticis reponantur & publicè comburantur.

Can. 10. Ne Clerici paræcia propria relicta in alias excurrant: neque curas seculares & mundanas suscipiant.

Can. 11. De Oeconomis in Ecclesia instituendis,

Can. 12. Ne Prælatus secularis res suæ Ecclesiæ alienet, sed eas administret tanquam DEO intuente.

Can. 13. Condemnantur, qui monasteria communia faciunt habitacula.

Can. 14. Tonsurati in Ecclesia officio Lectoris fungantur ante manuum impositionem. *c. Quoniam dist. 69.* Permititur Abbatibus, si Sacerdotes sint & ab Episcopo benedicti, Lectores ordinare proprios Monachos.

Can. 15. Ne quis deinceps duabus Ecclesiis præficiatur, sed una sit contentus, eique debita officia persolvat. *c. Clericus 21. q. 1.*

Can. 17. Prohibetur Clericis luxus & ornatus corporis. *c. Omnis jactantia 21. q. 4.*

Can. 17. Monachis prohibetur Orationis ædificare, si non habeant quæ ad perfectionem pertinent.

can.

Can. 18. Ne ulla mulier in domo Episcopali vel Monasteriis admittatur.

Can. 19. Ne quis ad Sacerdotalem Ordinem aut vitam Monasticam mediante pecunia admittantur.

Can. 20. Monasteria Monachorum & Monialium sibi cohærentia prohibentur, imo etiam confabulationes. 18. q. 2. c. *Definimus.*

Can. 21. Non oportet Monachum aut Monialem proprium relinquere Monasterium, & ad aliud se conferre sine obedientia Superioris.

#### CONSTANTINOP. IV.

15. Octavum Oecumenicum Concilium est Constantinopolitanum quartum coactum à Basilio Imp. assentiente Adriano Papa secundo, cuius prima Actio habita est Constantinopoli A. 869. 3. Non Octob. à centum duobus Episcopis, ut scribit Nicetas; Concilio profederunt Legati Apostolici Stephanus & Donatus Episcopi & Marinus Diaconus. Intervenit quoque Basilius Imp. sed in fine protestatus est non esse suum, nec ullius Laici negotiis Ecclesiasticis se immiscere ideoque licet ante Episcopos jussu Legatum, post Patriarchas tamen omnes subscriptis Synodum solum acceptans, protestan-

testansque se post Episcopos subscribere debuisse. Revocatus est in hac Synodo Ignatius ab exilio Sedique Constantopolitanæ restitutus; Photius vero cum sequacibus damnatus est & Patres anathemati subscrispere atramento sanguine Christi diluto, ut perhibet Nicetas in vita Ignatii. Ultima actio est habita ultima Februarii A. 870. & confirmatio petita à Pontifice, quam impetratam esse testatur Baronius aliique.

16. Constituti sunt à Patribus Canones 27. in Anastasii versione extantes. In primo edicitur servandas esse traditiones Apostolicas non scriptas, perinde ac divinas scripturas.

Can. 2. Firmantur Nicolai & Adriani definitiones pro Ignatio contra Photium.

Can. 3. Venerandas esse sacras imagines.

Can. 4. Photius declaratur nunquam fuisse Episcopus, & quod Ordinationes ab eo factæ irritæ sint.

Can. 5. Neophytos ad Episcopatum non esse assumendos; In collatione ordinum interstitia servanda esse.

Can. 6. Res gestas per Photium nullius esse roboris.

Can. 7. Ne sacras imagines anathematizati depingant.

can.

190 *Canones Concilii Constant. IV.*

Can. 8. Ne chirographa ab Episcopis  
exigantur, nisi ex more, tempore con-  
secrationis.

Can. 9. Ut extorta per Photium hujus-  
modi chirographa nullius sint roboris.

Can. 10. Ne quis ante sententiam se-  
paretur à communione proprii Patri-  
archæ.

Can. 11. Anathematizati omnes cum  
Photio credentes duas in uno corpore  
esse animas.

Can. 12. Ne favore Principum eligan-  
tur Episcopi.

Can. 13. Ut nonnisi, qui in eadem Ec-  
clesia militarunt, ad majores gradus  
promoveantur, & non aliunde petiti.  
Damnantur etiam, qui dissidium excitant  
inter Summum Pontificem & Concilia  
Oecumenica.

Can. 14. Ne promoti ad Episcopatum  
indecentia obsequia exhibeant Magistra-  
tibus.

Can. 15. Ne alienentur cimelia Ec-  
clesiæ, possessiones vendantur vel den-  
tur in Emphyteusim.

Can. 16. Ne Laici latus causa sacra in-  
dumenta gestent Sacerdotum.

Can. 17. Patriarcharum jura in con-  
vocandis Metropolitanis illibata serven-  
tur, execraturque S. Synodus dicentes  
inva-

*Canones Concilii Constant. IV. 191*

invalidas esse Synodos, quibus non interfit Princeps.

Can. 18. Privilegia Ecclesiarum conservanda.

Can. 19. Visitationes Ecclesiarum sine omni avaritiæ suspicione peragantur.

Can. 20. Ne sibi jus dicat Episcopus in rebus Ecclesiasticis.

Can. 21. Exhibendus honor & reverentia omnibus Patriarchis, præcipue vero Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici.

Can. 22. De Summorum Sacerdotum electione.

Can. 23. A rebus, personis, & sacris actionibus alienæ Dioecesis abstinendum.

Can. 24. Ne Archi-Episcopi per alios suas Ecclesias curent Suffraganeos.

Can. 25. Ne qui hactenus adhaerentes Photio Episcopi consecrati à Methodio sive Ignatio, etiamsi resipiscant, spem ullam habent restitutionis Episcopatus.

Can. 27. Ut beneficium appellationis ad maiores Sedes sit cuique Clerico liberum.

Can. 27. Ne Episcopi pallio utantur nisi loco & tempore congruo, & ne Monachi ad Episcopatum assumpti Monasticum habitum deponant.

can.

## LATERANENSE I.

17. Novum generale Concilium & pri-  
mum in Occidente celebratum est Late-  
ranense A. 1123. ut habet Gabriel Cossat-  
dus *in annot. convocatum à Callisto II.*  
Pontifice ad sedandum schisma sub Hen-  
rico IV. Imp. exortum & terram San-  
ctam à Saracenis recuperandam, in Ec-  
clesia S. Salvatoris, quod olim fuit Pa-  
latium Constantini Imp. exstructum in  
fundo cujusdam civis Romani, qui di-  
ctus est Lateranus à quo & nomen re-  
tinuit Ecclesia. Interfuerunt Concilio  
plures quam trecenti Episcopi, ut tra-  
dit Abbas S. Dionysii, qui præsens adfuit,  
secundum Abbatem Urspergensem, qua-  
dringenti viginti sex. Præsedit ipse Pon-  
tifex Henrico V. Imp. non procul ab-  
sente, & confirmavit.

18. Canones editi sunt sequentes pro  
pristica disciplina Ecclesiæ restituenda.  
Can. 1. Prohibentur ordinationes & pro-  
motiones Simoniacæ.

Can. 2. Nullus in Præpositum, Archi-  
Presbyterum vel Decanum nisi Presby-  
ter, nullus in Archi-Diaconum nisi Dia-  
conus ordinetur.

Can. 3. Presbyteris, Diaconibus &  
Subdiaconibus mulierum, nisi quas ob-  
necessi-

necessitatem Nicæna Synodus permittit,  
cohabitatio interdicitur.

Can. 4. Laici nullam habeant de re-  
bus Ecclesiasticis disponendi facultatem.

Can. 5. Conjugia consanguineorum  
prohibentur.

Can. 6. Ordinationes à Burdino hære-  
siarcha factæ irritæ decernuntur.

Can. 7. Animarum curæ nemini sine  
consensu Episcopi commitenda est.

Can. 8. Ne quis possessiones S. Roma-  
næ Ecclesiæ invadat.

Can. 9. Excommunicati à propriis  
Episcopis ab aliis in communionem non  
recipiantur.

Can. 10. Nullus consecretur Episco-  
pus nisi canonice electus.

Can. 11. Indulgentiæ conceduntur iis  
qui contra infideles auxilium præbuerint,  
eorumque bona in protectione Romanæ  
Ecclesiæ suscipiuntur.

Can. 12. Porticanorum sine hæredi-  
bus morientium bona contra morien-  
tium deliberationem non pervadantur.

Can. 13. Treguam diffingentium pœ-  
na statuitur.

Can. 14. Interdicitur ne à Laicis obla-  
tiones in templis factæ auferantur, nec  
Ecclesiæ incastellentur, aut in servitu-  
tem redigantur.

194 *Canones Concilii Lateran. I.*

Can. 15. Falsam monetam eudens & pendens tanquam pauperum oppressor excommunicatur.

Can. 16. Excommunicationis pœna infligitur illis, qui spoliant peregrinos vi- sitantes limina Apostolorum & Sancto- rumatoria.

Can. 17. Ne Abbates & Monachi pu- blicas dent pœnitentias, infirmos visi- tent, unctiones faciant & Missas publi- cas cantent. Chrisma, Oleum, Conse- crationes altarium & Ordinationes Cle- ricorum ab Episcopis accipient.

Can. 18. Parochi ab Episcopis conſi- tuantur, nec accipient decimas & Ec- clesiæ sine consensu Episcoporum.

Can. 19. Seryitia Monasteriorum Epis- copis facta conceduntur. Possessiones Ecclesiarum & Episcoporum tricennales non habeant Abbates & Monachi.

Can. 20. Immunitas bonorum & per- sonarum Ecclesiæ stabilitur.

Can. 21. Continentia Clericorum & Monachorum præcipitur.

Can. 22. Alienationes bonorum Ec- clesiæ & beneficiorum prohibentur.

LATERANENSE II.

19. Decimum generale Concilium fuit Lateranense secundum celebratum A.

1139

1139. à mille fere Episcopis sub Innocen-  
tio II. contra Anacletum & Victorem  
Antipapas, & Arnaldum de Brixia, nec  
non pro reformatione morum. Præsedit  
ipse Pontifex & Concilium confirmavit.

20. Canones hujus Concilii extant se-  
quentes. Can. 1. Prohibentur Ordina-  
tiones & promotiones Simoniacæ.

Can. 2. Vendentes & ementes Præ-  
bendas, dignitates Ecclesiasticas & res  
sacras deponuntur honore male quæsito,  
& fiunt infames. Allegatur I. q. 3. c. Si  
quis Præbendas.

Can. 3. Excommunicati à suis Episco-  
pis ab aliis non suscipiantur. Et Excom-  
municato scienter communicans pari  
sententiae tenetur obnoxius.

Can. 4. Episcopi & Clerici in statu  
mentis & habitu corporis DEO & ho-  
minibus placere studeant ; Nec sint of-  
fendicula in superfluitate, scissura aut  
colore vestium. 21. q. 4. c. Præcipimus.

Can. 5. Ne bona Episcoporum & Cle-  
ricorum decadentium diripientur. 12. q. 2.  
c. Illud.

Can. 6. Matrimonium Subdiaconis,  
& in altiore Ordine constitutis interdici-  
tur. Dist. 28. c. Decernimus.

Can. 7. Præcipitur continentia Cle-  
ricis & Monachis, & quod nemo Missas

N 2 con-

196 *Canones Concilii Lateran. II.*

concubinarii audiat. 27. q. 1. c. ut Lex.

Can. 8. Et Monialibus continentia præcipitur. 27. q. 1. c. ut Lex.

Can. 9. Ne Monachi & Canonici Regulares leges sacerdtales & medicinam addiscant.

Can. 10. Decimæ Ecclesiarum ne à Laicis possideantur. 16. q. 7. c. Decimas. Nullus in Archi-Diaconum vel Decanum, nisi Diaconus vel Presbyter ordinetur. Dist. 60. c. *Innovamus*. Unaquaque Ecclesia proprium habeat Sacerdotem 21. q. 2. c. *Præcipimus*.

Can. 11. Ut Clerici, peregrini & rustici cum suis animalibus sint securi.

Can. 12. Tregua quando observanda. Dist. 90. c. *Præcipimus*. Item Extrav. c. 1. de tregua & pace.

Can. 13. Usurarii non recipiantur, sed infames habeantur.

Can. 14. Ludi periculosi interdicuntur.

Can. 15. In Clericos & Monachos violentas manus injicientes excommunicantur. c. *Si quis suadente* 17. q. 4.

Can. 16. Ne Ecclesiastica beneficia vel officia hereditario jure possideantur. c. *Apostolica* 8. q. 4.

Can. 17. Incestus prohibetur. c. *Connubia consanguineorum* 35. q. 2. c. 3.

can.

Can. 18. Incendiarii excommunicantur. *c. Pessimam.* 23. q. 8.

Can. 19. Episcopi statuta contra Incendiarios relaxantes damnum restituant. *c. Pessimam.* 23. q. 8.

Can. 20. Principibus facultas facienda justitiae contra eos non negatur.

Can. 21. Filii Presbyterorum illegitimi à ministeriis Altaris removentur, nisi in cœnobiis Religiosè conversentur. *c. Presbyterorum dist.* 56.

Can. 22. De falsa poenitentia. *Dist.* 5. c. 8.

Can. 23. Hæresis Petri de Bruis damnatur.

Can. 24. Pro chrismate, Oleo sacro & sepultura nil detur.

Can. 25. Beneficia Ecclesiastica de manu Laici ne accipientur.

Can. 26. De Clausura Monialium. *c. Pernicoseam* 18. q. 2.

Can. 27. Ne Moniales simul cum Cononicis vel Monachis in uno choro Ecclesiæ psallent. *c. Pernicoseum* 18. q. 2.

Can. 28. Canonici de sede Episcopali non excludant Religiosos. *c. Obeuntibus dist.* 63.

Can. 29. Prohibentur artes Balli, stadiorum & sagittariorum aduersus Christianos exerceri.

Can. 30. Ordinationes ab Antipapa  
& hæreticis factæ irritantur.

### LATERANENSE III.

21. Undecimum generale fuit Lateranense tertium convocatum ab Alexandro Papa III. A. 1179. in Constantiana Basilica, cui interfuerunt 300 Episcopi teste Guillelmo Archi-Episcopo Tyrio *l. bell. Sac. 21. c. 2.* Præsedit ipse Pontifex & Concilium confirmavit; Coætum vero fuit contra Catharos (quos Waldenses & Albigenses alii appellant) Schismaticosque ab Antipapis ordinatos, & pro reformata in moribus Ecclesia.

22. Agitur vero Can. 1. De electione Summi Pontificis. *c. Licet de Elect.*

Can. 2. Gestæ per Antipapam irritantur.

Can. 3. De electione & confirmatione Episcoporum. *c. cum in cunctis de Elect.*

Can. 4. De impensis Procurationum seu visitationum moderandis. *c. cum Apo-*  
*stolus de censibus.*

Can. 5. De titulo Clericali: & quod Episcopos Clericum sine patrimonio seu titulo ordinatum alere teneatur. Refertur *c. Episcopus si aliquem & c. Non licet de Præb.*

Can. 6. Nō suspensionis vel excom-  
muni-

municationis sententia absque præmissa  
commonitione proferatur. c. *Reprehensi-*  
*bilis de appellat.*

Can. 7. Ne pro installatione Prælato-  
rum, pro exequiis defunctorum, bene-  
dictione nubentium, omniumque ad-  
ministratione Sacramentorum aliquid  
exigatur, sed detur gratis, quod gratis  
receptum est. c. *Cum in Ecclesiæ corpore de*  
*Simon.*

Can. 8. Beneficia vel officia Ecclesia-  
stica non conferantur neque promit-  
tantur antequam vacent. c. *Nulla de con-*  
*tess. præb.*

Can. 9. De interdicta Ecclesia, & se-  
pultura interdictorum.

Can. 10. Monachi non recipiantur  
pretio: non præficiantur Ecclesiis Paro-  
chialibus; peculium habere non permit-  
tantur, & alia quædam de disciplina re-  
gularium.

Can. 11. De continentia Clericorum:  
c. *Monast. de vita & honest. Cler.*

Can. 12. Clerici in sacris Ordinibus  
constituti Advocati vel Procuratoris  
munere non fungantur coram Judice sæ-  
culari, nisi pro Ecclesia vel miserabilibus  
personis. c. *Sed nec procurationes: Ne Cler.*  
*vel Monachi sæc. negot.*

Can. 13. De prohibita pluralitate be-  
neficiarum. can

200 Canones Concilii Lateran. III.

Can. 14. Iterum pluralitas beneficiorum prohibetur. Ne Clericos in Ecclesiis instituant aut destituant Laici, vel Ecclesias exactioribus gravent. Ne ad suum forum pertrahant & judicio suo stare compellant. Ne decimas Ecclesiæ debitas cum animæ suæ periculo detineant. c. Præterea de jur. patr.

Can. 15. Clerici de bonis Ecclesiæ vel illius intuitu quæsitis disponere non possunt, sed penes Ecclesiam remanere debent. c. Cum in officiis, de test.

Can. 16. Quod fit à majore parte Capituli ratum habeatur. Habetur c. I. de hū quæ fiunt à majo. par. capit.

Can. 17. De jure patronatus. c. Quoniam in quibusdam de jure patron.

Can. 18. De præbenda præceptoriali. c. I. de Magist.

Can. 19. De immunitate Ecclesiarum. c. Non minus, de immunit. Eccl.

Can. 20. De Torneamentis & aliis ludis periculosis inhibendis. c. I. de Tornementis.

Can. 21. De Treguis servandis.

Can. 22. De pace servanda.

Can. 23. De leprosis à communi cœtu separandis.

Can. 24. Ne arma & alia id genus ad hostes Christiani nominis deferantur.

Nc

Ne quid molestiæ inferatur Christianis  
negotiationibus.

Can. 25. Usurarii manifesti excom-  
municantur.

Can. 26. Christiani non habitent cum  
Judæis aut Saracenis.

Can. 27. Varii damnantur hæretici,  
& nominatim Albigenses, & Cathari,  
pluribus concessis indulgentiis & privi-  
legiis Principibus, qui contra iplos sa-  
cram expeditionem moverint.

#### LATERANENSE IV.

23. Duodecimum generale Concilium  
fuit Lateranense quartum convocatum  
ab Innocentio III. A. 1215. in Ecclesia Con-  
stantiana mense Novembri ; Cui ipse  
Pontifex præsedit, & convenere Epis-  
copi duodecim supra quadringentos in-  
ter quos Patriarchæ Constantinopolita-  
nus & Jerosolymitanus, sed Alexandri-  
nus & Antiochenus absentes hic ob mor-  
bum, iste ob nimiam distantiam suos mi-  
sere Apocrisarios. Abbates præterea &  
Priores Conventuales 800. Interfuere  
quoque Imperatorum Orientis & Occi-  
dantis, multorumque Regum ac Princi-  
pum Legati. In eo actum contra hære-  
ses Albigensium, & errores Joachim Ab-  
batis

batis Florensis Monasterii, & de recuperatione terræ sanctæ.

24. Canones hujus Concilii septuaginta hæc continent. *Can. 1. Proponit fidei Symbolum.*

*Can. 2. Damnatur Abbatis Joachim error & petulantia adversus Petrum Lombardum, cuius sententia de Trinitate & Unitate divinæ substantiæ assertur. c. 1. & 2. de Summ. Trinit.*

*Can. 3. De pœnis hæreticorum pervicacium. c. Excommunicamus de hæret.*

*Can. 4. De superbia Græcorum contra Latinos. Habetur Tit. de Baptismo & ejus effectu.*

*Can. 5. De sediū Patriarchalium ordine & præcedentia ac prærogativis. c. Antiqua de privilegiis.*

*Can. 6. Ut singulis annis Concilia Provincialia celebrentur. c. Sicut olim de accus. inquis & denunt.*

*Can. 7. Ut Prælati ad corrigendos subditorum excessus maximè Clericorum diligenter intendant, & qualem in Canonicos Ecclesiæ Cathedralis jurisdictionem exercere possint. c. Irrefragabili de offic. Jud. ordin.*

*Can. 8. Qualiter debeat Prælatus procedere ad inquirendum & puniendum subditorum excessus, Quomodo procedendum*

dendum adversus Prælatorum ipsorum excessus. c. Qualiter de accusat.

Can. 9. De diversis ritibus in eadem fide per Episcopum tolerandis. Habetur c. Quoniam de offic. Jud. ordin.

Can. 10. Ut Prælati per se, vel per viros idoneos verbum DEI populo sibi commisso ministrant, cæteraque ad salutem animarum necessaria. c. Inter cætera de offic. Jud. ordin.

Can. 11. De Magistris scholarum in Cathedralibus Ecclesiis aliisque instituendis, & de Præbenda præceptorali illis assignanda. De Theologo in Ecclesia Metropolitana & Præbenda Theologali. c. Quia nonnullis. De Magistris.

Can. 12. De reformatione Regularium per frequentes visitationes & Capitula Provincialia.

Can. 13. Prohibentur novæ Cœnobitarum Religiones, cuitamen postea derogatum fuit.

Can. 14. De disciplina Ecclesiastica & reformatione morum, & de continencia Clericorum. c. ut clericorum. De vita & honest. cleric.

Can. 15. A crapula & ebrietate, venatione & aucupio Clerici abstineant. c. A crapula de vita & hon. cleric.

Can. 16. Ut Clerici officia & commercia

204 Canones Concilii Lateran. IV.

cia sacerdotalia non exerceant. Clerici officia. De vita & honest. Cler.

Can. 17. De divino officio nocturno diurnoque pie & diligenter celebrando. c. Dolentes. De celebr. Miss.

Can. 18. A judicio sanguinis Clerici abstineant; Et à Chirurgiæ exercitio, seu parte quæ unctionem vel incisionem inducit. c. Sententiam. Ne cleric. vel Monach.

Can. 19. Ut vasa sacra, corporalia & vestimenta ministrorum munda & nitida conserventur. c. 2. de custod. Euchar.

Can. 20. Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia conservanda. c. 1. de cust. Euch.

Can. 21. Ut fideles omnes saltem semel in anno peccata proprio Sacerdoti confiteantur, & Eucharistiæ Sacramentum ab eo reverenter suscipiant in Pascha. c. Omnis utriusque sexus. De paenit. & remiss.

Can. 22. Ut Medici moneant & inducant ægrotos quos curant, quod prius de salute animæ quam corporis cogitent, & Confessarios Sacerdotes advocent. c. Cum infirmitas, De paenit. & remiss.

Can. 23. Ut Ecclesiæ cathedrali vel regulari viduatæ Pastore intra tres menses provideatur. c. Ne pro defectu, De Elect.

Can.

Canones Concilii Lateran. IV. 205

Can. 24. De forma eligendi Prælatos Ecclesiasticos. c. *Quia propter*, de Elect.

Can. 25. Ne quis patiatur se elegi per Potestates sacerdtales contra Canonicam libertatem. c. *Quisquis electioni*, De Elect.

Can. 27. Ne indigni promoteantur ad Ordines sacros, & regimen animarum. c. *cum sit ars*, de etat. & qual. ordin.

Can. 28. De resignatione Beneficiorum. c. *Quidam de Renunt.*

Can. 29. Ne quis plures dignitates Ecclesiasticas, vel Parochiales Ecclesiastas recipiat : & de incompatibilitate Beneficiorum. c. *De multa*, de Præb.

Can. 30. Idonei præficiantur Ecclesiis & reijciantur indigni. c. *Grave nimis*, de Præb.

Can. 31. Ne filii Canonorum in sacerdotalibus Ecclesiis, in quibus instituti sunt eorum Patres, admittantur. c. *Ad abolendam*, de filiis Præb.

Can. 32. De congrua portione Parochis assignanda c. *Extripandæ*, de Præb.

Can. 33. De visitatione Ecclesiarum.

Can. 34. Procurations Legatorum æqualiter colligendæ.

Can. 35. De appellatione ante Sententiam. c. *ut debitus honor*, de Appell.

Can. 36. Judex revocans gravamen, à quo est appellatum, potest procedere in causa

206 Canones Concilii Lateran. IV.

causa principali, nisi aliunde sit suspe-  
ctus. c. *Cum cessante, de appell.*

Can. 37. Ne quis ultra duas diætas ex-  
tra Diœcesin in jus vocetur. c. *Nonnulli  
de Rescript.*

Can. 38. De Notario seu Graphario  
ad scribenda acta judicialia, ne fides veri  
pereat. c. *Quoniam contra, de probat.*

Can. 39. De restitutione spoliatorum.  
c. *Sæpe contingit, de restit. spoliat.*

Can. 40. Adversus contumaces in ju-  
dicio. c. *Contingit, de dolo & contum.*

Can. 41. Præscriptio sine bona fide  
non procedit, c. *Quoniam omne, de pra-  
script.*

Can. 42. Ne jurisdictionem Ecclesia-  
sticam Laici usurpent, neque Clerici  
jura Laicorum.

Can. 43. Clericus fidelitatem Laico  
non faciat.

Can. 44. Constitutiones Principum  
non præjudicent Ecclesiis.

Can. 45. Patronus occidens vel mu-  
tilans Clericum amittit jus Patronatus.

Can. 46. Clerici etiam propter com-  
munes utilitates gravari non possunt.  
c. *Adversus Consules, de immun. Eccl.*

Can. 47. De monitoriis præmittendis  
ante fulminationem censurarum Ecce-  
siasticarum,

can

Can. 48. De exceptione recusatoria,  
& appellationis beneficio. c. Cum speciali,  
de appell.

Can. 49. Ne quis ferat sententiam ex-  
communicationis vel absolutionis per  
avaritiam.

Can. 50. Impedimentum matrimo-  
nii inter consanguineos, vel affines non  
excedat quartum gradum. c. Non debet, de  
consang. & affin.

Can. 51. Clandestina conjugia inhiben-  
tur. c. Cum inhibitio de clandest. deßpons.

Can. 52. Testes de auditu non reci-  
piantur ad probandum impedimentum  
matrimonii ex causa consanguinitatis,  
vel affinitatis. c. Licet 47. de test. & attest.

Can. 53. De decimis prædiorum.

Can. 54. Ut prius solvantur decimæ  
quam tributa. c. Cum non sit, de Decimis.

Can. 55. Decimæ quomodo solvendæ  
à Religiosis Cisterciensibus & aliis. c. Nu-  
per Abbates, de Decimis.

Can. 56. Decimæ non negandæ pro-  
pter pactum aliquorum.

Can. 58. Privilegiorum verba inter-  
pretanda.

Can. 58. Tempore interdicti Eccle-  
siastici generalis possunt Episcopi & Mo-  
nachi januis clausis divina officia cele-  
brare. c. Quod nonnullis, de Privilegiis.

can.

208 *Canones Concilii Lateran.* IV.

Can. 59. Religiosus non fidejubeat sine licentia.

Can. 60. Ne Abbates jura Episcopalia usurpent. c. *Accidentibus, de Excessu Præl.*

Can. 61. Presbyteri regulares vel seculares Ecclesiis Parochialibus præficiendi, debent institui ab Episcopo. c. *In Lateran. de Præb.*

Can. 62. Reliquiæ Sanctorum extra capsam non ostendendæ. c. *ult. de reliq. & ven.* De Quæstoribus Eleemosynarum. c. *cum ex eo de pœnit. & remiss.*

Can. 63. Ne pro consecratione Episcoporum, Benedictione Abbatum, & collatione Ordinum quidquam exigatur. c. *Sicut de Simonia.*

Can. 64. Ne Moniales dato pretio recipiantur in Monasteria.

Can. 64. De Simonia.

Can. 66. Pravæ exactiones pro exequiis mortuorum & benedictionibus nubentium prohibentur: Sed & piæ consuetudines aliquid erogandi servandæ sunt. c. *Ad Apostolicam de Simonia.*

Can. 67. Ne Judæi graves usuras à Christianis extorqueant.

Can. 68. Præcipitur Judæis gestare aliquod indumenti genus, quo à Christians distinguuntur.

can.

Can. 69. Ne Judæi & Pagani publicis officiis præficiantur.

Can. 70. Ne Judæi conversi quidquam de superstitionibus Judaicis retineant.

## LUGDUNENSE I.

25. Decimum tertium generale fuit Lugdunense primum Lugduni in Gallia indictum ab Innocentio IV. A. 1245. cui ipse Pontifex præsedit considente ad dexteram ejus Imperatore Constantino-politano, & ad sinistram aliis Principibus Laicis. Intervenire Episcopi 140, quos inter Patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochensis, & Aquilejensis. Depositus in eo est Fridericus II. Imp. illique subrogatus Henricus Thuringiæ & Hassiæ Landgravius, & actum de expeditione in terram sanctam suscipienda. Acta ejus approbata sunt à Pontifice eodem.

26. Canones hoc Concilio conditi sunt sequentes; & relati à Bonifacio VIII. in lib. 6. Decretalium.

De clausula: *Quidam alii, in rescriptis Apostolicis ultra quatuor non extenda.* c. *Cum in multis de rescriptis in 6.*

De Postulatione & Electione Prælatorum, & de propria formula utriusque servanda c. 1. *de Postulatione Prælati in 6.*

O

Con-

Continentia causæ non dividenda, & de mutuis petitionibus ac reconventionibus coram eodem Judice. c. Dispensis de rescript. in 6.

De oppositionibus adversus electionem vel postulationem intra certum tempus prosequendis. c. i. de elect. in 6.

In Electionibus & Postulationibus vota conditionalia & incerta reprobantur. c. in Electionibus, de elect. in 6.

De Conservatoribus Apostolicis. c. de offic. & potest jud. deleg.

De Legatorum Apostolicorum potestate circa beneficiorum collationem. c. de offic. Leg. in 6.

Metropolitanus Remensis & alii in Diocesibus Suffraganeorum foraneos Officiales constituere non possunt. c. i. de offic. ordin. in 6.

Judex delegatus à Papa non potest absque speciali mandato compellere partes, ut coram se personaliter compareant, nisi &c. c. i. de judiciis.

Exceptio peremptoria litis contestationem non impedit, nisi agatur de resinita: c. i. de litis contest. in 6.

De Actore intra terminum non comparente. c. i. de dolo & cont. in 6.

Missio in possessionem non fit ob consumaciam partis in causis beneficialibus.

c. i. de eo qui mittit in posses caus. rei serv. in 6.

De positione negativa admittenda ex æquitate c. i. de confessis in 6.

Advocatus vel Procurator in priori judicio an possit esse testis in causa appellationis. c. Romana de test. in 6.

De Exceptione excommunicationis.  
c. i. de except. in 6.

De Exceptione spoliationis. c. i. de restit. spoliat. in 6.

De poena Judicis male judicantis per fides corrupti. c. i. de sent. & re judic. in 6.

Summus Pontifex Imperatorem depolare potest ex justis causis. c. Ad Apostolicæ de sent. & re judic. in 6.

De Appellationibus ad Sedem Apostolicam certa forma interponendis. c. i. de appell. in 6.

De exceptione recusatoria Judicis suspecti. c. Legitima de appellat. in 6.

Decretum contra Assassinos & homicidas. c. i. de homic. in 6.

De Exemptis qua ratione coram Judicibus ordinariis conveniri debeant  
c. i. de privil. in 6.

De Studiis Juris Canonici & Civilis in Curia Romana, & studentium privilegiis. c. Cum de diversis de privil. in 6.

De sententia Excommunicationis, suspensionis & interdicti in scriptis prof-

O 2 renda,

renda, adjecta etiam causa. c. 1. de sent. excomm. in 6.

De absolutione à censuris Ecclesiasticis ad cauelam. c. 2. de sent. excomm. in 6.

De participantibus cum excommunicatis, quod ante monitionem præmissam non sint excommunicandi. c. statuimus de sent. excomm. in 6.

Episcopi pœnam sive sententiam interdicti vel suspensionis non incurruunt nisi in sententia sint expressi. c. Quia periculum de sent. excomm. in 6.

Archи-Episcopus sententias latas ab Officialibus Suffraganeorum regulariter non relaxat. c. Romana de sentent. excomm. in 6.

Archи-Episcopi sententia generalis ligat tantum subditos. c. Romana Eccles. de sent. excomm. in 6.

Sententia Excommunicationis sine competenti præmonitione est injusta. c. Romana, de sent. excomm. in 6.

Pro futuris delictis non est ferenda sent. Excommunicationis nisi justa causa subsit. Eodem in 6.

In Universitatem proferri non debet sententia Excommunicat. Eodem in 6.

Prælatus contra potestatem sæcularem gladio spirituali sive censura Ecclesiastica se tueri potest. c. Dilecto de sent. excomm. in 6.

LU-

LUGDUNENSE II.

27. Decimum quartum Concilium generale fuit Lugdunense secundum Lugduni in Gallia convocatum à Gregorio X. A. 1274. cui ipse Pontifex præsedit, & interfuerunt Episcopi circiter 500, quos inter Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus & S. Bonaventura Episcopus Abbanensis (qui nondum soluto Concilio mortuus est) præter Abbates & Magistros Ordinum Hospitalis Ierosolymitani & militum Templi, & Principum Oratores, inter quos fuere missi ab Imp. Palæologo cum literis unionem & obedientiam profitentibus. Non vero interfuit ipse Imperator ut patet ex actis Concilii, quæ inscribuntur: *Breviæ notæ* & literis ab eo missis, responsisque à Pontifice datis. Interfuit vero Jacobus Aragoniæ Rex qui juxta summum Pontificem seorsim ab aliis omnibus condidit. In eo Concilio, quod confirmatum est à Pontifice, præcipue actum de Ecclesia Orientali reducenda ad unitatem cum Romana; De electione Summi Pontificis à solis Cardinalibus in Conclavi facienda; & de processione Spiritus sancti à Patre Filioque.

28. Canones in hoc Concilio editi

O 3

sta.

statuunt 1. De processione Spiritus sancti æternaliter ex Patre & Filio tanquam ex uno principio.

Can. 2. De Electione Summi Pontificis c. ubi periculum de Elect. in 6.

Can. 3. De Electione & Postulatione Prælatorum, & de oppositionibus adversus eas factis juridice dirimendis. *Ibid.*

Can. 4. Ne Electus ad Prælaturam ante confirmationem administret c. Avaritia de elect. in 6.

Can. 5. De consensu Eleæti intra mensem præstanto. c. Quam sit Ecclesiæ, de Elect. in 6.

Can. 6. Eligentes indignum non privandi eligendi potestate, licet contra conscientias agant.

Can. 7. Ne quis propriam electionem impugnet nisi propter vitium vel defecatum tempore electionis ignoratum. c. Nulli licere, de Elect. in 6.

Can. 8. Si pars una eligitum sit duplo major numero ei se pars altera oppone non debet nisi votum alicujus nullum sit ipso jure.

Can. 9. De appellatione ad Sedem Apostolicam in causis Electionum Episcopali.

Can. 11. Qui impediunt electiones Clericorum excommunicantur.

can.

Can. 12. Volentes de novo Regalia, custodiam advocationis vel defensionis titulum in Ecclesiis, Monasteriis aliisque piis locis usurpare excommunicantur.

Can. 13. Nullus ad regimen Ecclesiae Parochialis assumatur nisi idoneus scientia, moribus & aetate. *c. Cum in cunctis de Elect.*

Can. 14. Ne commendetur Ecclesia Parochialis ultra semestre *c. Nemo deinceps, de Elect. in 6.*

Can. 15. De Ordinatione.

Can. 16. De Bigamis.

Can. 17. De Officio Judicis ordinarii.

Can. 18. De incompatibilitate beneficiorum. *c. Ordinarii locorum de Offic. Ord. in 6.*

Can. 19. De Advocationis officio in foro Ecclesiastico, & Procurationis fideliter gerendo praestito juramento.

Can. 20. De iis, quae vi metusve causa fiunt.

Can. 21. De dignitatibus & Beneficiis in curia Romana vacantibus à solo Rom. Pontifice conferendis. *c. Statutum de Præb. in 6.*

Can. 22. De rebus Ecclesiae non alienandis nisi servatis solennitatibus à jure requisitis. *c. Hoe consultissimo, de reb. Eccl. non alien, in 6.*

can.

216 *Canones Concil. Lugdun. II.*

Can. 23. Ne quis novum Ordinem aut Religionem inveniat, vel habitum novæ Religionis assumat. *c. Religionum, de relig. dom. in 6.*

Can. 24. De Procuratione seu visitatione Ecclesiarum & quomodo Prælati in ea se gerere debeant. *c. Exigit. De Censi in 6.*

Can. 25. Qua devotione & reverentia fideles sacrī interesse debeant mysteriis in Ecclesia. *c. Decet dominum Domini de immunit. Eccles. in 6.*

Can. 26. Contra usurarios manifestos statuitur poena. *c. I. De usurar. in 6.*

Can. 27. Usurarii manifesti sepultura Ecclesiastica priventur, nec ullus eorum testamentis intersit, nisi de usuris satis fecerint.

Can. 28. De injuriis & damno dato.

Can. 29. Qualem censuram incurvant participantes cum excommunicatis ante vel post monitionem Canoniam. *c. Constitutionem de sent. Excomm. in 6.*

Can. 30. De relaxatione ad cautelam interdicti Ecclesiastici in civitates, alias ve Universitates. *c. Præsenti de sent. Excomm. in 6.*

VIENNENSE.

29. Decimum quintum Concilium generale fuit convocatum à Clemente V.  
anno

anno 1311. Viennæ Allobrogum ad flu-  
men Rhodanum in Gallia, Interfuere  
Episcopi trecenti & amplius Præsidente  
ipso Summo Pontifice. In eo Templa-  
riorum Ordo suppressus & extinctus ob  
hæresin, apostasiam aliaque atrocissima  
flagitia ab ipsis patrata. Similiter impiæ  
Begardorum & Beguinarum Sectæ, nec  
non Fraticellorum seu Dulcinistarum (sic  
dictorum à Duleino quodam Novariensi,  
quem sex millia hominum secuta sunt)  
damnatae fuerunt; Et expeditio pro re-  
cuperaanda Terra sancta suspicienda est  
decreta. Ab hac Synodo Constitutio-  
nes Clementinæ dictæ juri Canonico in-  
sertæ ortum habent.

30. Definita sunt in hoc Concilio. 1.  
Quod resignatio facta per Procuratorem  
valeat non obstante revocatione man-  
dati non significata. Clem. unic. de renunciat.  
2. In impetratione novi Beneficii alio-  
rum mentio fieri debet, quæ impetrans  
possidet. Clem. Et si. de Offic. Ordin.

3. Ut Episcopi Prælatorum Regula-  
rium negligentiam in conferendis bene-  
ficiis ab ipsis dependentibus suppleant.  
Clem. I. de suppel. negl. Præl.

4. Ut Episcopi Clericos subditos de-  
linquentes diligenter corrigant.

5. Ut Episcopi à suis sedibus expulsi  
pos-

possint procedere contra expulsores in aliena Dioecesi, petita à Dioecesano licentia, licet non obtenta. *Clem. cap. unius de foro cdmpet.*

6. De provisione beneficij à Pontifice facta motu proprio ei, qui jam alia possidet beneficia. *Clem. c. Si Romanus de Præbend.*

7. De Sepultura in Ecclesiis Prædicatorum vel Minorum, & de Quarta funerali. *Clem. c. Dudum à Bonifacio, de Sepultura.*

8. De Patronis & jure Patronatus, & quomodo in eo succedatur. *Clem. c. Plures, de jure Patron.*

9. De Matrimonio in gradu prohibito, vel cum Moniali contracto. *Clem. c. I. de consang. & affin.*

10. De Scholis Romanæ curiæ & aliis *Clem. c. I. de Magistris.*

11. Ne Religiosi Sacramentum extremæ Unctionis vel Eucharistiae administrarent sine Parochi licentia, vel Benedictionem nuptialem impertiant, vel excommunicatos à Canone absolvant, praeterquam in casibus à jure, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem. *Clem. c. I. de privil. & excessibus.*

12. Ut Archi-Episcopus Provinciam suam peragrans crucem ante se portari faciat &c. *Clem. c. 2. Eod.*

13. Re-

14. Religiosi etiam exempti violantes interdictum Ecclesiasticum sententiam excommunicationis ipso facto incurunt.

*Clem. c. 1. & 2. de sent. Excomm.*

15. Ne Episcopi aliive Prælati subditos vel exemptos injuriis & gravaminibus lassessant. *Clem. de excess. Præl.*

16. De privilegiis Regularium. *Clem. Dudum, de Sepult. & Clem. 1. de Privil. & excess.*

17. S. Francisci Regulæ variæ difficultates & ambiguities explicantur ac definiuntur. *Clem. c. Ex i vi de Paradiso De verb. signif.*

## FLORENTINUM.

31. Decimum sextum generale Concilium fuit Florentinum A. 1438: rotatu Palæologi Græcorum Imp. convocatum ab Eugenio IV. & Ferrariæ inchoatum, primaque ejus Sessione fuit habita quarta Idus Januarii Præsidente Legato à Latere Eugenii Nicolao Albergato ex Ordine Carthusiano Cardinali Presbitero, & primo decreto declarata sunt irrita omnia acta Basileensis post Eugenii revocationem. Secundæ Sessioni, quæ celebrata est decimo quinto Februarii, præsedit ipse Pontifex præsentibus septuaginta duobus Episcopis.

Ordo

Ordo in Sessionibus post adventum  
Græcorum Imperatoris Joannis Palæo-  
logi cum fratre suo Demetrio Principe  
Peloponesi, hic servatus est: Super ere-  
cto solio ante Altare collocatus est liber  
Evangeliorum intra sacra capita Beato-  
rum Apostolorum Petri & Pauli accen-  
sis hinc inde cereis. Pontifex cum Epis-  
copis Latinis dexteram partem, alteram  
Imperator cum suis Græcis tenebat. In-  
fra solium Pontificium uno fere passu lo-  
cata est Imperatoris Latini Alberti secun-  
di Sedes, sed ob absentiam semper vacua  
re mansit. E regione Pontificis & Se-  
dis Imperatoris Latini Sedes Imperato-  
ris Græcorum, & paulo inferius Iose-  
phi Patriarchæ Constantinopolitanie eju-  
dem eminentiæ & ornatus cum Ponti-  
fice fuit. Demetrio Imperatoris fratri  
à dextris ejus Sedes collocata est, sed  
humilior, & quatuor fere palmos remo-  
ta. Interfuere Concilio octo, vel ut alii  
novem Cardinales, & præter Abbates,  
centum circiter quinquaginta Episcopi  
Latini. Græci quoque in magno nume-  
ro adfuere, inter quos Bassarion Episco-  
pus Nicænus, Isidorus Thessalonicensis  
Archiepiscopus; Ac præterea Isidorus  
Kiovensis totiusque Russiæ Metropolita.  
Metropolites quoque Iberiæ, ac nonnul-  
li

li Prælati Russiæ & Moscovia. In Sessione tertia 14. Octob. celebrata & quatuor subsequentibus Sessionibus disputatum est de additione ad Symbolum Constantinopolitanum hujus vocis: *Filioque circa Spiritus sancti processionem.* In sexta decima Sessione fit Decretum de Synodo ob pestem Ferrariae ingravescentem Florentiam transferenda.

23. Igitur Ferraria, habitis ibi Sessionibus sedecim, transfertur Concilium Florentiam primariam Thusciæ Civitatem A. 1439. ad quam cum mense Januario devenissent, celebrata est ibidem Sessio decima septima 26. Februarii, ac subinde octo circiter Sessiones habitæ; In quibus primò in sex Sessionibus disputatum est de Processione Spiritus sancti, num sit à solo Patre, an etiam à Filio. Tandem hortatu Patriarchæ Josephi Constantinopolitani, qui tunc decumbebat extrema ægritudine, qua sanctissime decepsit, Imperator cæterique Prælati Græci, excepto solo Marco Episcopo Ephesino, veritatem agnoverunt & professi sunt. Deinde actum est de pœnis Purgatorii, de quibus omnes convernerunt actaque Concilii obsignarunt. Sed paulo post reversi in Patriam Græci, suprannominato Ephesino omnia turbante

bante ad vomitum redierunt. Demum accesserunt quoque Armeni ad Catholicam fidem, & unitatem Ecclesiae Romanæ, ac decretum hac super reformatum, antequam Florentia discederent promulgatum est. Tum vero translatum est Concilium Romam, ubi duravit saltem usque ad annum 1445. ut patet ex actis Florentinæ Synodi editis per Horatium Justinianum Oratoristam postea Cardinalem, ut refert Pallavicinus in historia Concilii Tridentini. l. 6. c. II.

## LATERANENSE V.

33. Decimum septimum Generale & Lateranense quintum indictum fuit A. 1512. à Julio II. Maximiliano Imp. ad convellendum Conciliabulum Pisanum, & Schisma impediendum. Præsedit ipse Pontifex Concilio, quod auspicatus est quarto nonas Maij festo Inventionis S. Crucis præsentibus Cardinalibus quindecim, Patriarchis Alexandrino & Antiocheno Archi-Episcopis & Episcopis septuaginta septem. Sed superveniente febri post quartam Sessionem (ex qua etiam nono Calendas Martii A. 1513 obiit) deinceps Julius interesse non potuit, ejusque loco præsedit Cardinalis Raphel Rarius Episcopus Ostiensis. Sessio veto sex-

ta

ta habita Præside Leone V. Pontifice Successore Julii 1513. 27. Aprilis, sub quo post habitas sex Sessiones finita est A. 1517. mense Martio, & Synodus à Leone confirmata.

34. In Concilio hoc duodecim celebratæ sunt Sessiones. In prima ordinantur præliminaria, & creantur Officiales.

Sess. 2. Damnantur acta Conciliabuli Pisani.

Sess. 3. Pœnæ decernuntur & infliguntur Cardinalibus aliisque fautoribus Conciliabuli Pisani.

Sess. 4. Pragmatica Sanctio, quæque ejusdem causa Conciliabulum egerat, abrogantur.

Sess. 5. Julii per ægritudinem absentis Constitutio de Creatione Romani Pontificis legitur prohibens omnem in ea Simoniam sub pœna nullitatis.

Sess. 6. Diversi designantur Prælati, quibus varia munera demandantur.

Sess. 7. Duo Cardinales Schismatici autores Conciliabuli Pisani veniam petentes, & Schisma adjurantes reconciliantur.

Sect. 8. Definitum est unicam esse hominis animam eamque immortalem. Dum hæc Sessio celebraretur, adfuerunt à Ludovico Galliæ Rege Legati ejusque domine

nomine Pisanum Concilium execrati Lateranensi tanquam vero, indubitate & Oecumenico Concilio adhaeserunt.

Sess. 9. Bullæ reformationis Romanae Curiæ leguntur, & renovantur Canonis Concilii tertii Lateranensis. De Cardinalibus specialis sanctio Concilii traditur.

Sess. 10. Edita est Constitutio declarans Montes pietatis erectos ad sublevandos inopes non esse usurarios, sed justos & licitos.

Sess. 11. Præscribitur Lex Concionatoribus servanda in prædicatione verbi DEI. Item Concordata inter Leonem Pontificem & Franciscum I. Galliæ Regem leguntur & approbantur.

Sess. 12. Excommunicantur, qui ædes Cardinalium invadunt tempore electionis novi Pontificis. Et absolutum est Concilium confirmatumque à Leone X.

## TRIDENTINUM.

35. Decimum octavum Concilium generale fuit Tridentinum indictum à Paolo III. die undecimo Calendas Junii anno Christi 1542. Pontificatus sui octavo, & sub tribus Summis Pontificibus Paulo eodem III. Julio III. & Pio IV. contra emergentes Lutheri aliorumque hæreses, & pro

& pro morum reformatione Summo Ecclesiæ bono legitime congregatum fuit. Complectitur namque plurimas easque saluberrimas Constitutiones tum fidem tum mores concernentes; Quæ cum approbatæ sint à supremo Principe Christi Vicario in terris, atque etiam factæ sint in præsentia, & cum consensu Principum sæcularium, quorum Oratores cum speciali mandato missi Concilio interfuerunt, dubitari nequit, quin constituant Jus generale & commune, quod omnes obliget, cumque omnia exemplaria Concilii ubilibet impressa concordent, non est fides illis deroganda. Licet vero decreta hujus Concilii fidem non concernentia ubique non sint recepta (quam bene inquiritur in Titulis de Constit. & consuet.) Regulares tamen habitantes in illis locis in quibus prætenditur non receptum esse hoc Concilium adstringuntur ad leges illius observandas, quia omnium Regularium Ordines sacro-sanctum hoc Concilium receperunt. Ita Passerinus *de stat. & off. hom. q. 187. a. 1. n. 213.* contra Virginium Alviset *in tract. de pri-*  
*vilegiis sect. 3. c. 5. §. 1. n. 11.*

Concilium hoc in viginti quinque Sessiones distributum est, in quibus tres ordines. Primò ponitur doctrina per sua

P

capita

capita distributa; Deinde Canones seu Decreta pro illa doctrina ordine digesta; Demum stabilitur reformatio disciplinæ Ecclesiasticæ. In Sessione 24 post Canones doctrinales subjungitur duplex ordo Reformationis, primò Reformatio Matrimonii, deinde reformatio Ecclesiastica. In allegationibus citatur hæc nomine Reformationis absolutè, ista cum addito *Matrimonii*. Similiter in Sess. 25. decreta sub nomine illius citantur; Reformatio vero cum duplex sit, nimirum Reformatio Regularium & Reformatio absoluta, sic quoque alligari solent.

Prima Sessio biennio post indictionem celebrata die decima tertia Decembris A. 1545. indictione tertia Præsidentibus Joanne Maria de Monte, Marcello Cervino, & Reginaldo Polo S. R. E. Cardinalibus. In hac nomina Prælatorum, qui adfuerunt, censita sunt, lecta que ad eos admonitio Legatorum Apostolicorum; Ac subinde decretum est sacrum & generale Concilium incipere & incepsum esse.

Sess. 2. A. 1546. 7. Januarii edita sunt Concilii præliminaria.

Sess. 3. Die 4. Febr. propositum confirmatumque est fidei symbolum.

Sess. 4. Octavo Aprilis promulgatum est decretum.

decretem de Canonicis scripturis, & aliud de scriptione & usu sacrorum librorum.

Sess. 5. Decima septima Junii editum est Decretum de peccato originali, & duo capita de Reformatione; Primum de Lectoribus sacrae Scripturæ, secundum de Concionatoribus & Quæstori- bus Eleemosynariis.

Sess. 6. Die decima tertia Januarii A. 1547. Decreta & Canones de Justificatio- ne formati. Item Decreta de reformatio- ne; *Cap. 1.* De Residentia Episcoporum. *Cap. 2.* De residentia obtinentium be- neficia, quæ requirunt Residentiam. *Cap. 3.* Ut excessus Clericorum & Re- gularium agentium extra Monasteria corrigantur ab Ordinario. *Cap. 4.* Ca- pitula Cathedralium visitet Episcopus quoties voluerit. *Cap. 5.* Pontificalia aut Ordinatio in aliena Diœcesi non fiant.

Sess. 7. Die tertia Martii edita sunt De- creta de Sacramentis in genere, & spe- cialiter de Baptismo & Confirmatione. In Decretis de Reformatione statuitur *Cap. 1.* Quis capax regiminis Ecclesia- rum Cathedralium. *Cap. 2.* Prohibetur pluralitas beneficiorum in Cathedralibus Ecclesiis. *Cap. 3.* Habilibus conferantur beneficia. *Cap. 4.* Plurium beneficio-

P 2 rum

rum incompatibilium Retentor iis c<sup>a</sup>reat. **Cap. 5.** Qui plura obtinent Beneficia exhibeant dispensationes. **Cap. 6.** Quæ beneficiorum uniones validæ, quæ irritæ. **Cap. 7.** Beneficia unita visitentur. Per Vicarios etiam perpetuos cura exerceatur. **Cap. 8.** Ecclesiæ reparentur. **Cap. 9.** Episcopi infra tempus statutum consecrentur. **Cap. 10.** Capitula Sede vacante non dent dimissorias. **Cap. 11.** Facultates de promovendo à quocunque continere debent causas. **Cap. 12.** Facultates de non promovendo concessæ ad annum tantum suffragentur. **Cap. 13.** Præsentati non instituantur nisi prævio examine. **Cap. 14.** Causæ civiles exemptorum Clericorum sacerdotium & regularium degentium extra Monasterium videantur ab Episcopis. **Cap. 15.** Curent Ordinarii, ut hospitalia fideliter gubernentur.

**Sess. 8.** Die undecima Martii de transferendo propter ingruentem pestem Concilio actum.

36. Concilium translatum fuit Bononiæ, ubi duæ Sessiones factæ sunt; Nonna die 21. April. & Decima die 2. Jun. de prorogatione Concilii.

**Sess.**

Sess. 11. Decimo octavo Cal. Decemb.  
A. 1550, quæ fuit prima sub Julio III.  
promulgatur edictum resumptionis Con-  
silii in civitate Tridentina præsidentibus  
Legatis Marcello Cardinali, Sebastiano  
Pichio Archi-Episcopo Sepontino, &  
Aloysio Lipomano Episcopo Veronensi.

Sess. 12. Die 1. Sept. A. 1551. decreta  
est prorogatio.

Sess. 13. Die 11. Octob. actum est de  
Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, &  
Canones de eo confecti. In decreto de  
Reformatione. Cap. I. Datur forma, qua  
Episcopi debent residere. Ab eorum Vi-  
sitatione nemo appellat. Cap. 2. Si ap-  
pelletur ab Episcopo, cui causa commit-  
tenda sit. Cap. 3. Acta primæ instantiæ  
intra triginta dies dentur gratis appel-  
lanti. Cap. 4. Abbates assistere possunt  
Episcopo deponenti, & degradanti Cle-  
ricum, si Episcopi desint. Cap. 5. Gra-  
tiæ ob factas causas concessæ revocentur.  
Cap. 6. Episcopus non citetur persona-  
liter nisi ob causam depositionis. Cap. 7.  
Qualitates testium contra Episcopum.  
Cap. 8. Causæ Episcoporum, cum com-  
parere debent, terminentur per Ponti-  
ficem.

Sess. 14. Die 25. Novemb. actum est de Sacramentis Pœnitentiæ & extremæ Unctionis. **Cap. I.** de Reformatione Clericos male se gerentes puniendos esse. **Cap. 2.** Ne Episcopus alienum subditum ordinet. **Cap. 3.** Episcopus male ab alio promotos sine examine non admittat ad Officia celebranda. **Cap. 4.** Clericus non est exemptus à correctione Episcopi. **Cap. 5.** Conservatorum potestas restrin- gitur. **Cap. 6.** De decenti habitu Cle- ricorum. **Cap. 7.** Voluntarius homicida ordine ac beneficio careat, cum casuali, aut vim vi repellente dispensemetur. **Cap. 8.** Ne Episcopus puniat Clericos alienos. **Cap. 9.** Ne beneficia unius Diœcesis uniantur Beneficiis alterius Diœcesis. **Cap. 10.** Beneficia regularia conferan- tur Regularibus. **Cap. 11.** Professi ma- neant sub Obedientia, & sint incapaces beneficiorum sœcularium. **Cap. 12.** Jus patronatus obtineat, qui dotat ex suis, aut Capellam de novo fundat. **Cap. 13.** Beneficiandus præsentetur Ordinario.

Sess. 15. Vigesima quinta Jan. A. 1552, decreta est prorogatio Synodi.

Sess. 16. Die 28. April. decreta est ejus- dem suspensio bellorum insurgentium occasione.

36. Concilium interruptum mors Julii III.  
Cujus loco electus est Marcellus II, qui  
etiam vigesimo secundo die Pontificatus  
obiit. Ei successit Paulus IV, quo seden-  
te nihil actum est in Concilio, & exacto  
in Pontificatu quadriennio vita functus  
est. Huic surrogatur Pius IV. sub quo  
Concilium suspensum & dilatum resumi-  
tur hortante S. Carolo Boromæo.

Sub Pio IV. ergo celebrata Sessio de-  
cima septima 18. Jan. A. 1562. in qua  
emanauit Decretum de celebrando Con-  
cilio, & indictio futuræ Sessionis.

Sess. 18. Die 26. Februar. in qua decre-  
tum de librorum delectu, & de omni-  
bus ad Concilium publica fide invitam-  
dis cum salvo conductu concessio Ger-  
manicæ Nationi, & ejus extensione ad  
alias Nationes.

In Sess. 19. Die 14. Maij decreta est Sy-  
nodi sacræ prorogatio.

Sess. 20. Die 4. Junii decreta iterum  
prorogatio.

Sess. 21. Die 16. Julii Decreta & Ca-  
nones de Communione sub utraque spe-  
cie & parvulorum. De Reformatione.

Cap. I. Ut Ordines gratis conferantur.

Cap. 2. De Titulo Clericali initiando-

rum sacris Ordinibus. Cap. 3. Tertia pars  
pro-

proventuum convertenda in distributio-  
nes quotidianas. *Cap. 4.* De Vicariis ne-  
cessariis à Parochis assumendis & con-  
grua portione illis assignanda. *Cap. 5.*  
De unionibus Ecclesiarum. *Cap. 6.* Si Be-  
neficiati sint imperiti, aut turpiter vi-  
vant, quomodo proyidendum. *Cap. 7.*  
De reparandis Ecclesiis collapsis. *Cap. 8.*  
Ordinarius curet in Diœcesi quæcunque  
ad DEI cultum spectant. *Cap. 9.* Quæ-  
stores eleemosynarum abrogantur; In-  
dulgentiæ publicandæ ab Ordinariis.

Sess. 22. Die 17. Sept. excussa est do-  
ctrina de sacrificio Missæ, & de eo forma-  
ti Canones. Decretum de observandis &  
evitandis in celebratione Missæ. *De*  
*Reformatione Cap. 1.* Ut Clerici hone-  
ste graviterque vivant. *Cap. 2.* Quales  
assumendi ad Ecclesiæ Cathedrales.  
*Cap. 3.* Distributiones quotidianæ crea-  
ndæ ex tertia parte fructuum. *Cap. 4.*  
Qui habeant vocem in Capitulo. Item  
de ætate, qualitate & Ordine præficien-  
dorum. *Cap. 5.* Dispensationes extra clu-  
riam committantur Ordinariis. *Cap. 6.*  
Circumspectè comutandæ ultimæ vo-  
luntates. *Cap. 7.* In appellationibus &c.  
seruetur tenor e. Romani in 6. *Cap. 8.* Epis-  
copi

copi plenissimè videant omnes pias di-  
spositiones. *Cap. 9.* Administratores cui-  
vis fabricæ & quorumcunque piorum lo-  
corum dent rationem ordinariis. *Cap. 10.*  
Notariorum sufficientiam scrutentur Or-  
dinarii. *Cap. II.* Excommunicantur oc-  
cupatores obventionum piis locis appli-  
candorum. Demum subjungitur Decre-  
tum super petitione concessionis Ca-  
licis.

38. Sess. 23. Die 16. Julii A. 1563. ce-  
lebrata, tradita est doctrina Catholica  
& Canones publicati de Sacramento  
Ordinis. Circa reformationem decreta  
sunt. *Cap. 1.* Residentia Episcoporum.  
*Cap. 2.* Consecratio Episcoporum ultra  
tres menses non differenda. *Cap. 3.* Ut  
Episcopi per se metipos Ordines confe-  
rant. *Cap. 4.* Ne quis ad Clerum promo-  
veaturnisi Confirmationis Sacramentum  
prius suscepere. *Cap. 5.* Ut de Ordinan-  
dorum natalibus, ætate, moribus & vi-  
ta diligenter inquiratur. *Cap. 6.* Ante  
decimum quartum annum nullum esse  
Beneficii capacem. *Cap. 7.* Ut examen  
instituatur de ordinandorum natalibus,  
ætate, institutione, moribus, doctrina  
& fide. *Cap. 8.* Ordinatio à proprio Epis-  
copo

copo facienda, nisi ordinandus literas habeat dimissorias. **Cap. 9.** Episcopus familiarem ordinans conferat ei beneficiū. **Cap. 10.** Abbates & Capitula Ecclesiarum Cathedralium non dent nec Sede vacante literas dimissorias. **Cap. 11.** Minoribus ordinandi servent interstitia. **Cap. 12.** Ætas ordinandorum servanda etiam Regularibus: **Cap. 13.** Quid Subdiaconis & Diaconis observandum. Duo Sacri Ordines eidem non conferantur eodem die, nec Regularibus. **Cap. 14.** Ordinandi Presbyteri annum egerint in exercitio diaconali; Sint castis moribus, & ordinati frequenter Missam celebrent. **Cap. 15.** Episcopi approbatio necessaria est Presbyteris, ut possint absolvere à peccatis. **Cap. 16.** Ut non omnes promiscuè ordinentut. Nec peregrinus sine literis commendatiis celebret. **Cap. 17.** Exercitia minorum Ordinum restituuntur. **Cap. 18.** Datur forma erigendi Seminarium Clericorum.

39. Sess. 24. Celebrata Die 11. Nov. A. 1563. Tradita est doctrina & Canones de Sacramento Matrimonii. **Cap. 1.** Habetur decretum de Reformatione Matrimonii. **Cap. 2.** Inter quas personas contra.

trahatur cognatio Spiritualis orta ex Baptismo & Confirmatione. *Cap. 3.* De impedimento publicæ honestatis. *Cap. 4.* De impedimento affinitatis ex illicito congressu. *Cap. 5.* De pœnis contrahentium inter gradus prohibitos, & de dispensatione Pontificis circa impedimenta Matrimonii. *Cap. 6.* De impedimento Raptus. *Cap. 7.* De matrimonio vagorum hominum. *Cap. 8.* Concubinarii si ter moniti non resipiscant, excommunicantur. Concubinæ exilio & aliis pœnis puniuntur. *Cap. 9.* Domini & Magistratus cogentes subditos ad Matrimonium cum certis personis contrahendum, excommunicantur. *Cap. 10.* Quibus temporibus celebrare nuptias prohibetur.

Eiusdem Sess. 24. *Cap. 1. De Reformatione sacræ disciplinæ.* Norma in creatione Episcoporum, & electione Cardinalium servanda. *Cap. 2.* Ut singulis trienniis Concilia provincialia, & quotannis Diœcesana celebrentur *Cap. 3.* Ut singulis annis Episcopus Diœcesin visitet. *Cap. 4.* Ecclesia Parochialis à Parochianis adeunda. Nullus contradicente Episcopo prædicet. *Cap. 5. Causæ cri-*

criminales majores contra Episcopos cognoscuntur à Summo Pontifice; Minores criminales à Concilio Provinciali.  
**Cap. 6.** De facultate Episcopis concessa dispensandi in irregularitatibus & suspensionibus certis. **Cap. 7.** Vis Sacramentorum, & Missæ mysterium explicetur populo. **Cap. 8.** De publicè & scandalo peccantibus. **Cap. 9.** Episcopus potest visitare Ecclesias exemptas & nullius Diœcesis. **Cap. 10.** Subditi non possunt suspendere executionem visitationis. **Cap. 11.** Episcopi jure suo uti possunt honorariis titulis & privilegiis particularibus non obstantibus. **Cap. 12.** Qualitas prensantium dignitates cum cura animarum. De Residentia & distributionibus, & ut Canonici Episcopo celebranti inseruant. **Cap. 13.** cathedrales tenues vel unendæ vel augendæ, uti & augendæ tenues Parochiales. Parochiani frequentēt parochias suas. **Cap. 14.** Ut omnes exactiones Simoniacæ aboleantur. **Cap. 15.** De unione tenuium præbendarum. **Cap. 16.** Capitulum Sede vacante constitutæ Oeconomum, Officialem seu Vicarium aliosque necessarios Administratores. **Cap. 17.** Pluralitas beneficiorum incompati-

patibilium prohibetur. *Cap. 18.* Ut beneficiis animarum curam habentibus per concursum provideatur, & digniores præferantur. *Cap. 19.* Gratiæ expectatiæ revocantur. *Cap. 20.* Causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes coram Ordinariis cognoscantur. Causas matrimoniales & criminales solus Episcopus cognoscat. De expensis Actorum & mercede Notarii.

40. Sess. 25. Cœpta Die 3. absoluta die 4. Decemb. A. 1563. Die tertia, decreta facta sunt de Purgatorio, de invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum, & de sacris imaginibus.

Circa reformationem Regularium & Monialium præcipitur. *Cap. 1.* Ut secundum rigorem Regulæ indispensabiliter vivant Regulares. *Cap. 2.* Proprietatis vitium è Monasteriis eliminetur. *Cap. 3.* Paupertas rigidior relaxatur, præterquam Minorum de observantia & Capucinorum. *Cap. 4.* Ne quis regularis sine sui Superioris licentia obsequio alicujus Prælati vel Principis se subjiciat, aut à Conventu recedat. *Cap. 5.* Ut Clausæ Monialium Episcopi curam gerant. *Cap. 6.* Superiores sacerdotes eligantur suffra-

suffragiis secretis ; Absentium vota non suppleantur. *Cap. 7.* Quadragenaria, aut saltem trigenaria eligatur in Abbatissam aut Priorissam, quæ unitantum præstet Monasterio. *Cap. 8.* Monasteria non habentia ordinarios Visitatores, nec subdita Episcopis singulis trienniis in Congregatione convenient. *Cap. 9.* Monasteria Monialium immediate subjecta Pontifici, visitentur ab Episcopis, cætera à Deputatis à Capitulis generalibus. *Cap. 10.* Moniales singulis saltem mensibus confiteantur & communicent. Bis vel ter in anno dari illis potest ab Episcopo Confessarius extraordinarius. *Cap. 11.* Parochi regulares in his quæ pertinent ad curam & Sacramentorum Administrationem sacerdotalibus, subjacent jurisdictioni, visitationi & correctioni Episcopi. *Cap. 12.* Censuræ Episcopales, & dies festi serventur à Regularibus. *Cap. 13.* Controversiae de præcedentia ab Episcopo omni appellatione remota componantur. Exempti accedant ad supplicationes publicas. *Cap. 14.* Regularis non subditus Episcopo scandalosè vivens puniatur à Superiore, vel eo negligente ab Episcopo. *Cap. 15.* Ne fiat Professio ante annum

num decimum sextum expletum. *Cap. 16.* Omnis donatio inter vivos, vel renuntia-  
tio Novitiorum ante duos ultimos men-  
ses Novitiatus exacti nulla est & inva-  
lida. *Cap. 17.* Ne Virgines suscipiant ha-  
bitum regularem ante annum duodeci-  
mum. *Cap. 18.* Ne puellæ cogantur ad  
profitendum Religionem. *Cap. 19.* De re-  
clamatione invalida Professi intra quin-  
quennium. *Cap. 20.* Abbates aliquæ Ordinum Superiores exempti Monasteria  
sua visitent, & jurisdictionem exerceant.  
*Cap. 21.* Monasteria collapsa restituantur,  
quibus non nisi Regulares præficiantur.  
*Cap. 22.* Superiora decreta omnino  
observentur.

41. In eadem Sess. 25. subjiciuntur  
Decreta 21. *de Reformatione.* *Cap. 1.*  
De officio Prælatorum. *Cap. 2.* Profes-  
sio fidei à quibus emittenda. *Cap. 3.* Ex-  
communicationis gladius non temere  
stringendus. *Cap. 4.* Qua ratione ma-  
gnus Missarum celebrandarum numerus  
reduci possit à Prælatis. *Cap. 6.* Quæ  
observanda Episcopo in visitatione Capi-  
tulorum exemptorum. *Cap. 7.* Accessus  
vel regressus ad Beneficia prohibitus.  
*Cap. 8.* Coadjutor quando concedendus.  
Bene-

Beneficiati sint hospitales. hospitalia quomodo regenda. *Cap. 9.* De jure Patronatus probando & deferendo. *Cap. 10.* Causæ Ecclesiasticæ spirituales coram quibus tractandæ ; Breviter terminandæ sunt. *Cap. 11.* Ne ultra quinquennium locaciones rerum Ecclesiæ , & solutiones anticipatæ fiant. *Cap. 12.* Decimæ solvendæ. *Cap. 13.* Quarta funeralium solvenda, ubi usus. *Cap. 14.* Ne Clerici concubinas habeant. *Cap. 15.* Ne filii Clericorum illegitimi beneficium habeant aut ministrent in Ecclesiis, ubi Patres beneficium obtinent. *Cap. 16.* De congrua portione Vicario perpetuo beneficii curati assignanda. *Cap. 17.* Episcopi sint Patres & Pastores , nec indignè se demittant. *Cap. 18.* Canones exactè ab omnibus servandi. *Cap. 19.* Duella sub graviissimis poenis prohibentur. *Cap. 20.* Ut omnes sanctiones in favorem personarum Ecclesiasticarum , immunitatum & libertatis Ecclesiæ serventur. *Cap. 21.* In his omnibus decretis de reformatione & Ecclesiastica disciplina reservata censetur auctoritas Sedis Apostolicæ.

In prosecutione Sessionis die sequenti  
4. Dec. decretum fuit de Indulgentiis, de  
cibo-

ciborum delectu, jejuniis & diebus festis; De indice librorum, Catechismo, Breviario & Missali. De loco Oratorum. De recipiendis & observandis decretis Concilii, deque recitandis iisdem decretis in Concilio. Demum de petenda sacra universalis Synodi à Pontifice confirmatione, quam concessit Pius IV. Anno 1564. 26. Januar. In fine Concilii subscrispere decretis Patres numero 255, videlicet Legati 4, Cardinales 2, Patriarchæ 3, Archi-Episcopi 25, Episcopi 168, Abbates 7. Procuratores absentium cum legitimo mandato 39. Generales Ordinum 7. qui præsentes fuerunt cum Concilium concluderetur. Cæterum longe plures diversis temporibus illi interfuerunt; Nam præter Cardinales nimurum Joannem Mariam de Monte, Marcelum Cervinum, Reginaldum Polum, Herculem Gonzagam, Hieronymum Seripandum, Joannem Moronum, Stanislauum Hosium, Eudovicum Simonettam, Marcum Syricum de Altaemps Bernardum Navagerium, Marcellum Crescentium Sebastianum Pighinum Archi-Epis. Sipontinum & Aloysium Lipomanum Veronensem Episcopum, qui diversis vicibus nomine Pontificum Concilio præsederunt, duosque alias Cardina-

Q

dina.

242 *Papa supra Concilium.*

dinales non Legatos Carolum à Lotharingia Archi-Episcopum Rhemensem & Ludovicum Madrutum Episcopum Tridentinum, numerantur 3. Patriachæ 33, Archi-Episcopi. 235. Episcopi. 7. Abbes. 7. Generales Ordinum & plusquam 146. Theologi. Præterea Oratores & Legati Imp. Ferdinandi, Regis Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Reip. Venetæ, Septem Cantonum Helvetiorum, Bavariæ, Sabaudiæ, Florentiæ, aliorumque Principum Ecclesiasticorum.

C A P U T X V.

An Concilium sit supra  
Papam.

Proponitur status questionis. Papa est supra Concilium, quia est Christi Vicarius; Successor S. Petri; Caput Ecclesie; Pastor ovilis Christi. Episcopus Ecclesie universalis. Pater omnium Christianorum. Convocat Concilia. Est Iudex Conciliorum. Corrigit & improbat Concilia. Confirmat Concilia. Datur appellatio à Concilio ad Papam. Non datur appellatio à Papa ad Concilium. Hunc primatum Papæ ipsamet Concilia agnoscunt. Casus excepti, in quibus Concilium est supra Papam.